




Ce. 349

PK(5)







Georgius Calaminus



2  
HENRICI MEI  
BOMILLEMGOVI  
ENSIS E SAXONIBVS  
VVestuali

PARODIARVM HO.  
*ratianarum*

LIBRI DVO

ad

NICOLAVM CAASAM  
Magnum regni Daniæ Can-  
cellarium.

ITEM SYLVARVM  
LIBRI DVO.



HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius Anno 1538.

16.



Heinrich Meibom

✓ 1555 - 1625



NOBILISSIMO, GE-  
NERE, SAPIENTIA, DIGNI-  
tate, & auctoritate viro, Dn. Nicolao Ca-  
alæ, Domino in Torup, potentissimi  
regni Daniæ cancellario ma-  
gnifico, domino suo obser-  
uandissimo S.

*S*exta recedentē sequitur vindemia libram,  
Bisq; ter à Phœbi Scorpius igne calet,  
Ex quo Nympha suum me appellat Iulia vatem  
Imponens humeris pondera dura meis.  
Temporis hoc spacium geminata professio nobis  
Abstulit, alternâ detinuitq; vice.  
Dum iuvat historia sanctos aperire recessus,  
Et vatum obscuros enucleare locos.  
Inprimis nostras numerosus Horatius aures  
Mulsit inaudita calliditate lyra.  
Vidimus argutos in amœno carmine sensus,  
Dicendi varium conspicuumq; genus.  
O quoties superis grates ego cernuus egi,  
Auspicio quorum Flacce superstes agis.  
Multa Poëtarum nobis monumenta vetustas  
Abstulit: illa habeat, dummodò vita tibi.

A 2

Talia



*Talia dicta dedi manibusq; volumina versans  
Fingere conatus sum paradigma nouum.  
Scilicet ut Flaccum pubes imitamine vatem  
Redderet ignota dexteritate suum.  
A Equior arrisit nostro fortuna labori,  
Et leuis in iustum pagina creuit opus.  
Quicquid id est opera tibi, CASA diserte, sa-  
cramus :*

*Iudice me tali munere dignus eris.  
Sine genus spectem, vel cultas Palladis artes,  
Magnus es & Pylis Nestoris instar habes.  
Da veniam temerè si compellaris, honorem  
Dum potero vigilans amplificabo tuum.*

D. & Magnificentia T.  
deditis.

Henricus Meibomius in  
Iulia Academia Poeticae  
& historiarum pro-  
fessor.

DE



DE PARODIA EIVS-  
que origine sic scribit Iulius  
Cæsar Scaliger libro 1.  
poetices, cap.

42.



Uemadmodum Satyra ex Tra-  
gædia, Mimus è Comœdia: sic  
Parodia de Rhapsodia nata est.  
Quum enim Rhapsodi intermitterent reci-  
tationem, lusus gratia prodibant qui ad  
animi remissionem omnia illa priora inuer-  
terent. Hos idcirco *παροδοὺς* nomina-  
runt: quia præter rem seriam proposi-  
tam alia ridicula subinferrent. Est igitur  
Parodia Rhapsodia inuersa mutatis vocis  
bus ad ridicula sensum trahens. Erat  
enim velut Epirrhema aut Parabasis, qua-  
si auētarium actus: Ut sit *παρὰ τὴν γυνταὶν*  
*οἰδῆν, ἢ παροῦργον, ipsa παροῦργον.* Sic Alex-  
ander

13

ander



ander Aetolus & sensit & scripsit.

ἔγραφε δὲ ἠρεῦς

ὦν παρ' ὁμηρείων ἀγλαίω ἔπειων

Suidas autem more suo, id est, trivialiter (vt aiunt) interpretatur. Parodia, inquit, cum ex Tragœdia exit cantus in comœdiam. At hoc expressit certo verbo Plautus in Pseudulo: vt paratragœdiat carnifex. Matron Poeta Græcus multa millia Homericorum versuum ad cuculinam & macellum inuertit iusto poemate. Eubæus quoq; Parius quatuor ædedit libros Parodiarum, qui floruit sub Philippo. Præmus autem Hegemon apud Athenienses certauit hoc genere carminis, & vicit tum alijs, tum eo quod vocauit Gigantomachiam. Aristoteles Hegemonem Thasium primum Parodias scripsisse prodidit. Alij Hipponactem inuentorem autumant: cuius reliquias, quas inueni, apponam.

μῦσαι μοι εὐρεμέδοντ' ἄδοις ἢ ποντοχάρυβδιν,  
τὴν ἐγγαστριμὰ χαιρανόσσι ἐοδισίου καλὰ νόσ-  
μον. εἶνεφ'



έννεφ' ὅπως ψηφίδι κακῆ κακὸν οἶτον ὀληται,  
Εὐλή δημοσίη παρὰ θῖν' ἀλὸς ἀλρυγέτοιο.

*Ubi vides quemadmodum Homeri-  
ca omnia ad hostis insectationem detorta:  
sicut et illa Eubæi in pugna balneorum.*

Βάλθη οὐτ' ἀλλήλους χαλκήρεσιν ἐγχείοισι.

*Qui et pari filo, atq; arte designavit  
tonsorem conuitia figulo facientem propter  
uxorem.*

μηδὲ σὺ λόνδ' ἀγαθὸς περ ἔων ἀποσάρξο κευρῶ  
μηδὲ σὺ πηλείδῃ

*Quia perpauci sunt qui hosce agnoscant  
sales, accipias interpretationem. Nam  
κούρη apud Homerum pro Briseide posi-  
ta est: at hic tonsorem describit. Et  
πηλείδῃ Homero Achilles est: at hic fi-  
gulus παρὰ τὴν πηλόν. Sic etiam, ex  
Ulissea, Cratinus in Eunædis: quæ quia  
nimis multa sunt, non descripsi. Talem  
fecimus olim nos inter sodales nostros Car-  
nalianum diebus ex diuinitate Maroniana,*



Præla merumq; cano: Cretæ quod nectar ab  
Italiam cyathis profugum, potoria venit (oris  
Littora. & quæ sequuntur.

Similis est & illa Virgilij inuerso Ca-  
tulli epigrammate contra Aufidium Bas-  
sum:

Sabinus ille quem videtis, hospites,  
Ait fuisse Mulio celerrimus, &c.

Catullianum enim illud,

Phasellus ille, quem videtis, hospites  
Ait fuisse nauium celerrimus.

Cuius æmulatione nostrum quoq; ex-  
stat, tanto difficilius, quòd ne Catulli  
ἐμπαινεῖον, neq; Virgilij deprompta mihi po-  
nere licuit: sed alia longe diuersa, quæ ta-  
men ad rem facerent, quærenda:

Boletus ille qui necauit hospites  
Ait fuisse carnifex sacerrimus.

Neq; ullius furentis impetum manu

Nequisse præterire: siue sicula

Opus foret necare, siue linteo.

Et hoc negat minacior Druentia

Negare ripa, vel pigrè tumens Arar.

Vel



Vel urbs negotiosa, vel lutofa, vel  
Petita liberalis aula principis.  
Vbi iste fur Boletus antea fuit,  
Rapaxq; leno. Nam Genabio in iugo  
Silente nocte sibilum adidit suis.  
Tolosa diues & superba Euxia  
Tibi hac fuisse & esse perditissima  
Ait Boletus impia ex origine.  
Tuo stetisse dicit in statumine  
Tuum excacasse clamat ille carcerem.  
Et inde tot per insequentium manus  
Se hero abdidisse: laeva sine dextera  
Fugaret aura: siue utrumq; carnifex.  
Simul se inanis ac dedisset in pedem  
Neq; vlla vota carceralibus dijs  
Sibi esse facta, quum veniret ad mare  
Tolosa ab usq;: nam nihil putat Deos.  
Sed hac prius fuere: nunc recondita  
Bibit quietè: seq; deuouet tibi  
Megare Alastor, & Megara Alastoris.

Fuisse autem Parodiam in honore apud  
Siculos, conijci potest ex eiusdem Alex-  
andri Aetoli elegiaco eodem.

13

70106



ποῖα συρακοσίοισιν ἔχων χάριν δὲ βοιωτοῦς  
ἔκλυεν εὐβοίῳ τέρπεται ἐκ ὀλίγον.

*Personæ in Parodijs amantes fœmi-  
næ, aut temulentæ. Item Ganeones, qui  
bona sua abligurierunt. Patres eorundem  
nepotum & Gurgitum Alcumistarum im-  
posturæ. Lusus in malos poëtas ex per-  
sona cauponis, aut pistoris. Irrisio ma-  
li medici ex recitatione podagræ. Omne  
genus Bacelorum, & Bauciarum & Ba-  
talorum, quos Galli Badinos, Itali Balu-  
los vocant. Introducuntur hi cum magi-  
stris qui præeunt aut prælegunt versum  
aliquem serium: at illi detorquent ri-  
diculè ad cuiuspiam ignomini-  
am. Hæc Scali-  
ger.*

AD





AD HINRICVM MEL-  
BOMIVM POETAM.

**N**uper aromaticos subsistens inter odores,  
Quos nemus, & vatū turba sacrata fouet.  
Ecce tuos etiam Meibomi docte poeta

Ex reliquo volui carpere melle cibos.

Hic miratus ego laticeſq; crocumq; thymumq;

Ingenij vidi luxuriantis opes.

Hei mihi quam iuuenum numero bene cinctus

Apollo

Quam tua iactabat labra manumq; Deus.

O iubar, o ſeculi decus indelebile noſtri,

Et flos laudato conſpiciende loco.

Fallor? an ipſa mea de te præſagia mentis

Ominis indicium commodioris habent?

Nam tibi ſi florens tardè proceſſerit ætas,

Vatibus ingenium iudiciumq; dabis.

M. Hartuicus Smideſtetus

Oratoria profeſſor in Acad.

Iulia.

Viro



**VIRO ET POETAE  
CLARISSIMO**

**HENRICO MEIBOMIO.**

**H**oratiij quis non numeres amicos  
Dulci lyra quos concinit artifex?  
Quis Pindari non carmen optet,  
Ipsa Thalia quod huic ministrat?  
Horatius Roma quod erat: fuit  
In Graecia quod Pindarus inclita,  
Nobis idem nunc est polito  
Carminc MEIBOMIVS celebris.  
Horatius sed, Pindarus atq; erit,  
Sanctæ colentur quàm Aonides diu:  
Ergo legentur culta semper  
Carminc MEIBOMII celebris.

**M. Christophorus Caesar**  
Scholæ Hallensis  
Rector.

**Eidyl**



E  
EIDYLLION  
DE HENRICO MEL-  
BOMIO.

**A** Rbor in Elmano fontem prope consita luco,  
Nomen odoriferi nobile veris habens,  
Sacra verecunda cur dicitur esse Diane?  
Vota pavimentis cur Ericina tuis?  
Sic ego, sic croceo vultum perfusa rubore  
Rettulit alternis Iulias alma modis.  
Sapius hac lassis Diana sub arbore membris  
Dormit, & in molli gramine fessa cubat.  
Sapius hac pharetram suspendit & arma Cu-  
pido,  
Ducit ad hanc agiles Idalis alma choros.  
Hinc frutices teneris protrudit amanti. aptos,  
Seriagq; belligeris gignit honora comis.  
Salve grata tuis dulcissima frondibus arbor,  
In decus aeterni nobile veris eris.

P. T. L.

HEN.





## HENRICO MEIBOMIO

Academiae Iuliae professori.

**O**ptime vir salve, vates clarissime salve,  
 Pieridum salve fida columna chori.  
 Dulcia quam fuerint tua carmina scribere  
 conor

Bolschenij scriptis carmina iuncta mei.  
 Conanti in varias fertur mens didita partes,  
 Nec veniunt numeris verba sat apta meis.  
 Fallor? an aërias venientem lucis in oras  
 Te fovit placido Musa verenda sinu?  
 Fallor? an & promens iam nunc sua munera  
 conferz

Quæ residet labijs blanda Camæna tuis?  
 Sis felix, iuvenum pergas depromere turba,  
 Suggestit ingenio qua pia Musa tuo.  
 Sis felix, dulces academia Iulia frondes  
 MEIBOMI florens sentiat usq; tuos.  
 Dum superum, superis tibi met plaudentibus,  
 auris

Perpetuâ tandem fronde beatus agas.

Henricus Decimator.

Errat



## Errata sic corrigenda sunt in libris parodiarum.

**P**agina 1. linea 20. lege Multa parte sui cri-  
minis inficit. pag: 3. linea 9. nymphas. pag.  
10. lin. 13. montibus. pag. 17. l. 1. fulmine. 27. 5.  
supellex. 27. 7. comminuentis alta. 31. 20. pa-  
rentes. 34. 12. Cupidinis. 37. 8. Scythæ. 52. 22.  
ominibusq; 57. 19. post cruor tollatur distinctio.  
58. 7. Scythæ. 60. 11. equus.

## In libris Sylvarum.

Pagina 7. linea 22. lege Me quoq; 9. 18.  
Omen habet casus: Benedicti luce. 28. 19. Iudi-  
cio. 29. 8. Schosgio. 37. 21. Hoc norit. 40. 11  
Gemmis fruatur degener Indicis. 45. 3. facis. 46  
9. In foeda crinis tibi nare. In quibusdam ex-  
emplaribus plæraq; horum correctæ sunt, cæte-  
ra candidus lector facile animaduersa emen-  
dabit.











HENRICI MEIBO  
MI LEMGOVI-  
ENSIS

PARODIARVM HO-  
RATIANARVM

LIBER PRIMVS.



B

AD



PAROD. HORAT.  
AD ODEN XIII.  
AD FILIAM SION.

Queritur Iehoua Idolum sibi præferri.

**C***Vm tu, Filia, Veionis*  
*Errores dubios, impia Veionis*  
*Laudas orgia, vae, meum*  
*Feruens difficili bile tumet iecur.*  
*Tunc nec gratia, nec fauor*  
*Antiquus remanet, humor & in genas*  
*Sensim labitur, indicans*  
*Quàm Zelo penitus torquear igneo.*  
*Vror, seu tibi pristinos*  
*Turparunt habitus pestifera dolo*  
*Seçta: siue cohors furens*  
*Inuexit teneris dogma nouum Scholis.*  
*Non, si me satis audias,*  
*Credas perpetuos propria subdolè*  
*Dantes somnia, qua Satan*  
*Multa parte criminis inficit.*  
*Felices ter & amplius,*  
*Quos sincera tenet regula: nec nouis*  
*Impulsus ceremonijs*  
*Sensus hæretico dogmate fluctuat.*

AD

AD  
co  
  
F  
In  
  
IST  
Qu  
Co  
  
Eh  
Cla  
Ge  
  
Ne  
Sig  
Pe  
  
En  
Ap





LIBER I. 3  
AD ODEN XV.

Ad Reinerū Reineccium polyhistorem,  
continens Danubij vaticinum de bello  
sacro, Duce Godefrido Bulio-  
nio suscepto.

**P** Rinceps cum traheret per freta nauibus  
Germanis populum Belgicus hospitem,  
Insueto celeres obruit ocio

Nymphas, ut caneret fera  
ISTER fata. mala carpis aui viam,  
Quam multo impediet Gracia milite,  
Coniurata manus tollere Gallicas

Et ciucis Alemannia.

Eheu quanta malos, quanta premet bonos  
Clades! quanta moues funera patria  
Geni! iam clypeos Turcus, & areos

Currus, & frameas parat.

Nequicquam rutila presidio crucis  
Signas colluuiem: Sparsaq; literis  
Per genteis varias agmina conuocas.

Nequicquam lateri graues

Enses, & calami spicula quernei  
Aptas, & resides dulcibus excitas



*Promissis : tamen heu precipiti celer  
Mersus funere corrues.*

*Non Sansadoniam perniciem tuæ  
Gentis, non tumidum Corbana respicis?*

*Urgent intrepidi te Babylonius*

*Brodang, & Solyman sciens*

*Belli : siue opus est mœnia cingere,*

*Certus consilij. Turcopolos quoq;*

*Nosces. ecce furit te reperire atrox*

*Soldanus potior suis.*

*Quem tu mille dolis insidias viris*

*Tendentem effugies vix legionibus,*

*Primorum aspiciens funera principum,*

*Non hoc pollicitus tuis.*

*Iracunda diem proferet aduenis,*

*Matronisq; pijs barbara natio.*

*Post certas hyemes Turca tyrannicus*

*Invadet Solymæ domos.*

AD ODEN XVI.

Vitæ Emendatio.

AD IESVM CHRISTVM.

**O** Patre miti nate benignior,  
Quo peruicaces cumq; voles modo

*Plectes*



*Plectes reatus: siue bello,  
 Siue fame libet insolenti.  
 Non Agrigentum, non rabie premit  
 Cives subactos aduena Cantaber,  
 Non tortor aequè: non repertos  
 Sic Phalaris cruciat nocenteis,  
 Ut mens profani conscia criminis:  
 Quod nulla delet vis, neq; regulæ  
 Rigor seueræ, nec bonorum  
 Plausibiles operum cateruæ.  
 Constat beatum iustitiæ decus  
 Primi parentis crimine perditum  
 Adami, & humano nefandam  
 Spurcitiem peperisse cordi.  
 Culpa Manassen exiitio graui  
 Dedere, & amplis gentibus ultimæ  
 Fuisse causæ cur perirent  
 Funditus, eripereiq; iustis  
 Agros colonis transfuga barbarus.  
 Auerte pœnas. me quoq; pectoris  
 Decepit in molli iuuenta  
 Error, & in scelerum lacunas  
 Misit furentem: nunc ego prouidis  
 Mutare curo noxia: dum mihi*



*Fias reuertenti benignus  
Auxilijs, animung, reddas.*

AD ODEN XVII.  
Ad nympham Iuliam.

**F***elix cluentem saepe Pelasgiam  
Mutat LYCEO hoc Phœbus, & efferos  
Defendit insultus Camœnis  
Vsq, pijs, tremulosq, ronchos.  
Impunè tutum per nemus aureos  
Fingunt sonores, metraq, Dædalæ  
Virtutis ancille fideles:  
Nec Bauios metunt olenteis,  
Nec imperitos pulpita Zoilos:  
Vicung, dulci IVLIA barbito  
Colles, & Elmana virentis  
Robora personuere celsa.  
Dij me salutant: Dys strepitus mei  
Et Musa cordi est. hinc tibi gratia  
Fragrabit ad plenum benigno  
Oris honorum operosa cornu.  
Hic in remota sede Poëticas  
Tractabis artes: & fide Delia*

*Dices*



*Dices propagatos ab uno  
 Saxonicos proceres Guelfo.  
 Hic irreperiti pocula nectaris  
 Duces sub alno: nec Rhodopeius  
 Cum Mauius nectet sacerdos  
 Iurgia, nec metues Thrasonem  
 Despecta dirum, ne sale futili  
 Intemperantes ingeminet iocos,  
 Et ledat infontem profanis  
 Morsibus, immeritamq; sannis.*

## AD ODEN XX.

AD HENRICVM RANZOVIVM  
 Vicarium Regium &c. mittens ei centonem Virgilianum in obitum Frederici Ranzouij scriptum.

*Grande cognosces modica poemata  
 Pagina: Mantus quod ego ipse plectro  
 Conditum scripsi: fera mors necasset  
 Cum tibi natum  
 Magne RANZOVI pater, & videntes  
 Albidos ripae, simul & sonoros  
 Funderet questus Borealis ora  
 Silva palustris.*

B 4

Phar-



8 PAROD. HORAT.

*Pharmacum fessa lacrimis abundans  
Tu dabis menti. Mea nec vetustas  
Sera delebit, neq; fastuosus  
Carmina liuor.*

AD ODEN XX.

Hortatur virgines & pueros ad canendas  
Filij Dei nascentis laudes.

**I**EHOVAM tenera dicite virgines,  
Infantem pueri dicite Iesulum,  
Natalesq; supremo  
Festos aligerum choro.

Vos mitem ingenio, & perpete gratia,  
Quæ nobis adimit crimen, & exsules  
Cælo donat aperto,  
Si fiducia permanet.

Vos cunas totidem tollite laudibus,  
Nascentemq; mares, principis Ephratam,  
Insignemq; pudore  
Matrem cælite virginem.

Hic infans acies, hic miseram famem  
Pestemq; à populo, & Gymnasia grege in  
Turcas, atq; Maranos  
Vestra motus aget prece.

AD



LIBER I. 9  
AD ODEN XXII.

Verba sunt Dauidis cum Goliatho Philisteo Gigante pugnaturi ad Saulum Iudæorum regem.

**I**nteger vita, Dominoq; fidens,  
Non eget regis clypeo, nec ense,  
Nec venenatis gravidâ sagittis,

SAULE, pharetra:

Sive pugnaces ruit in PHILISTAS,  
Sive securos BABYLONIS urget,  
Incolas, vel quæ loca vorticosus  
Tigris inundat.

Namq; me fulvæ catulus leane,  
Dum greges pasco teneros, & hymnum  
Barbitocuris meditor solutis,

Fugit inermem.

Quale portentum neq; bellicosa  
HEVILA in sylvis alit impeditis:  
Terra nec Iudæ generat leonum  
Horrida nutrix.

Mitte melatis ubi castra campis  
Turpis ENACI soboles locavit:  
Quod solum bello petulans & igni  
Barbarus haurit.

B s

Mitte



*Mitte in occursum nimium propinquus  
Hostis, & cades minitantis atras:  
Terra clamantem feriam Cyclopem,  
Terra rudentem.*

AD ODEN XXVI.  
AD MVSAM, DE IVLIO  
Brunsvicens. Duce.

**C***Vris solutus, tristitiam & metus  
Tradam proteruis in mare Balthicum  
Portare ventis: quis ad Istrum  
Rex Schytica metuatur ora,  
Quid Rhoxolanos terreat unice  
Securus. o quæ fontibus editis  
Gaudes, sonoros conde versus,  
Conde patri patriæ triumphum  
ELMANA suavis. nil sine te mei  
Possunt canores: hunc fidibus novis,  
Hunc Lesbio cantare plectro,  
Meq; meosq; decet sodales.*

AD ODEN XXVII.

In turpissimum Musices abusum.

**N***Atis in usum letitiæ modis  
Præsum est abuti, pellite barbarum  
Morem*



Morem: verecundasq; Musas  
Ingenuis adhibete rebus.  
Cultu & modestis spurcicies sonis  
Immane quantum discrepat. optimam  
Seruate legem Christiani,  
Et numeros retinete castos.  
Vultis venustos me quoq; fingere  
Labris canores? concinat artifex  
Natus supremi quæ parentis  
Valnera, quos tulerit labores.  
Obstat voluptas? non alia canam  
Mercede. quod tu cunq; facis melos  
Non crubescendis nitefcit  
Doibus, ingenuoq; semper  
Amore dignum est. quicquid habes age  
Deprome fideis auribus. O boni  
Quantum fauoris spondet aui  
Iudicium melius futuri.  
Quæ lingua, quis te carpere dentibus  
Momus nefandis, quis poterit nepos?  
Vix eleuatum te maligno  
Zoilus adgreditur ore.

AD



PAROD. HORAT.  
AD ODEN XXIX.

In Ioannem Eccium scorti Babylonici  
satellitem.

**E**cci, profanis nunc operum insides  
Cartis, & omnem materiam paras:  
Non ante deductam Antichristi  
Patribus, horribilesq; cælo  
Moues tumultus. quæ tibi pinguium  
Merces sacerdotum infula seruiet?  
Ager quis ad Tibrim labores  
Herculeos tibi persitabit,  
Bacchi colonis mille ferens cados  
Æstate miti? Quis neget improbis  
Cor obsideri vi potentis  
Demonis, & subigi dolosè?  
Cum tu Papatus dogma nefarij,  
Scholasticorum & pontificum libros,  
Præferre decretis Iehouæ  
Pollicitus meliora tendis.

AD ODEN XXXII.

Centonem Vergilianum alloquitur,  
eumq; laudans à Proba Falconia  
inuentum scribit.

Posci-



**P**oscimus, si quid vacui sub alno  
Lusimus tecum, quod & hanc per urbem  
Serpas, & plures age dic Maronis

CENTO Poëma,

Romula primum modulate nymphæ.

Quæ sciens lana, tamen ad lucernam,

Sive versaret teretem micanti

Pollice fustum:

Pindarum, & Sappho Variumq;, & ipsis

Proximum Musis Catulum legebat,

Et Macrum verbis grauibus, grauiq;

Voce canorum.

O decus vatam, & cathedris Scholarum

Gratus excultis honor, o dolorum

Suaue lenimen, mihi cumq;, salue

Rite precanti.

AD ODEN XXXIV.

VITAE MORVMQVE COR-  
RECTIO.

**P**arcus librorum cultor, & infrequens,

Incontinenti dum petulantia

Addictus erro: nunc retrorsus

Ferre gradum, atq; iterare cursus

Cogor



Cogor relictos. Namq; sagittifer  
 Cyrrhæ cacumen nobilis incolens,  
 Plerumq; nomen literatis  
 Conciliat, memoremq; famam.  
 Quam Rhenus algens, & iuga Caucasi,  
 Quam Thrax & inuisæ accola Balibidos  
 Pugnax Pyrenæusq; finis  
 Commemorent. valet ima summis  
 AEquare: & abiectum ars leuat inclita  
 Ditans egenos. hinc decus in scyis  
 Apollo cum luctu sonoro  
 Eripit, & fauet eruditis.

## AD ODEN XXXV.

Ad bonam valetudinem.

O Dina, dites quæ colis insulas,  
 Prasens salubri temperie genus  
 Curare nostrum, spemq; prasens  
 Ludere præcipitem Charontis:  
 Te veste molli umbrata genas vocat  
 Ferox inuentus: te senij unicum  
 Lenamen egri, quos senectæ  
 Viracita attenuauit atas.  
 Te cunctæ amitant sollicitæ sibi  
 Suisq; gentes, quaq; oriens diem

Illa-



Illustrat orbis, quaq; pronus  
 Mergitur Hesperium sub æquor.  
 Formidolosa ne lue tabeat  
 Mortale seclum: neu populos frequens  
 Emissus Orco licetor orci  
 Vastet atrox, spolietaq; luce.  
 Te mater ambit læta Lubentia  
 Choroſq; cantuſq; & Charites manu  
 Ductans amica, nec voluptas  
 Candida abest, validumq; Robur.  
 Te liber & stirps Vrania aureus  
 Sectatur Hymen, nec latus abnegat  
 Quocunq; sub cælo caducam  
 Iaperi sobolem alma visis.  
 At tuſſis impura, at mala februum  
 Cohors faceſcit: diffugiunt pede  
 Tremente morbi, morſq; fundo  
 Exſulat interiore Auerni.  
 Serua cubantem LIPSIVM, & ultimam  
 Extende metam. neu patere abdita  
 Antiquitatis occupatum  
 In studio ante diem fuiſſe.  
 Heu: impiorum & nequitie pudet  
 Anũmq; quid non barbara polluit

AETAS?



*A*etas? quid intactum nepotes  
*V*idimus? unde stilum magister  
*I*ncitua effrons continuu? cui  
*P*epercit auctori? hoc utinam caput  
*O*rbi supersit: ille priscis  
*R*estituet decus omne Musis.  
*Ianus Lernutius.*

## AD ODEN XXXVII.

Ad sodales, ob manifestatum Antichri-  
 sti Romani regnum Deo supplican-  
 dum esse.

*N*unc est canendum, nunc prece supplicii  
*P*ulsandus aether: nunc melioribus  
*F*ormare mores institutis  
*T*empus erat reprobos, sodales.  
*A*ntehac nefas ostendere gaudium  
*S*onante pleetro, dum *B*ABYLONICA  
*P*ellex inauditos tumultus,  
*F*unus & innocuis parabat,  
*I*ncestuoso cum grege pinguium  
*E*piscoporum: quidlibet impotens  
*A*udere, successuq; fausto  
*E*bria, sed minuit furorem

*Affla-*



*Afflata verbi fulmina regia:  
 Mentemq; lymphatam petulantia  
 Redegit in veros timores  
 CHRISTVS, ab Italia minantem  
 Nutu repellens (noctis auem velut  
 Longæna cornix, aut catulum leo  
 Prædator in campis flagrantis  
 Armenia) daret ut gehennæ  
 Fatale scortum. quæ Sodomiticis  
 Polluta noxis, nec scelus insolens  
 Expauit vllum, nec seuerâ  
 Lege truces moderauit iras.  
 Ausa & Monarchas visere supplices  
 Fronte impudicâ turpis, & integras  
 Domare gentes: ut proteruis  
 Luxuriam stabiliret armis:  
 Incontinenti tigride seuior:  
 Summis dynastis scilicet abnegans  
 Priuata defungi molesto  
 Non humilis meretrix labore.*

## AD ODEN XXXVIII.

Deum non victimis sed animi integri-  
 tate colendum esse.

C

Victi-



**V**ictimas odit DEVS immolatas,  
 Dissplicent thuris cineres Sabæi,  
 Mitte sectari, quibus erigantur  
 Cultibus ara.

Credulo cordi nihil allabores  
 Vnicè mandat. neq; te cruentum  
 Reijcit durus, neq; me reatus  
 Mille fatentem.



**P A R O D I A E A D S E-**  
 cundum librum Carminum Q.  
 Horatij Flacci.

**A D O D E N P R I M A M.**

Ad Petrum Gnodalium scriptorem hi-  
 storiae belli rustici in Germa-  
 nia excitati.

**M**otum ex Luthero vindice rusticum,  
 Belliq; causas, & vitia, & modos,  
 Ludumq; Fortuna, graueisq;  
 Vindicias procerum, & respersa  
 Non expiato compita sanguine,  
 Doctrina & artis plenum opus aurea, Tre-



*Tractas: & ostendis futuro  
 Mille modis documenta seculo.  
 Paullum molesti sarcina ponderis  
 Desit colonis: mox, ubi senserint  
 Onus leuari, quæ iubebis  
 Officiosius exequentur.  
 Neglecta mystis illa Suëvicis,  
 Tulere nostris damna penaribus:  
 Ut tu diserto copiosus  
 Historicus calamo notasti.  
 Iam feminarum questibus anxij  
 Perstringis aureis, iam pueri gemunt,  
 Iam fulgor armorum pauentes  
 Terret & exanimat puellas.  
 Audire nostros iam videor Duces  
 Ferro rebelles tollere prouidos:  
 Omnesq; Germanos in armis  
 Præter agri miseros colonos,  
 Præsul, vel Abbas quisquis iniquior  
 Vulgo tributum durius irrogans  
 Hos excitarat Marte leuo  
 Principibus mala comminantes.  
 Quis nos cruento sanguine pinguior  
 Campus sepulcris impia prælia*



*Testatur, auditumq; Turcis  
 Teutonici strepitum tumultus?  
 Quis pagus? aut quæ mœnia lugubris  
 Ignara belli? quæ iuga copia  
 Non polluerunt militares?  
 Quæ caret ara cruore fuso?  
 Sed ne remissis Musa decens iocis  
 Threnos Prophetae Ieremiae canas  
 Sub pergula mecum virenti  
 Quære modos leuiore plectro.*

## AD ODEN SECVNDAM.

*Ad Paullum Chemnitium, Martini fili-  
 um, vituperans in Theologo pusillani-  
 mitatem, & extollens con-  
 stantiam.*

*N* *illus Eliae valor est, seueris  
 Obrute vinclis inimice linguæ  
 Paulle Chemniti, nisi concitato  
 Fulmine ore.*

*Viuet extentis Eliseus annis,  
 Notus in fraudes animi calentis:  
 Illum aget curru metuenic sisti  
 Gloria viuax.*

*Tutius*



*Tutius viues scelus exsecrando  
Impium, quàm si manifesta fuco  
Simplici pingas, & ubiq; vulgi  
Voce proberis.*

*Pergit intactus scelerum minister,  
Nec malum tollit, nisi fronte latâ  
Obuies fonti lacerante scindens  
Ulcerâ ferro.*

*Intimum regi tetrico Micheam  
Dissidens aulæ numero Propheta-  
rum eximit Flatus: populumq; falsis  
Dedocet vi*

*Vocibus: nomen titulosq; mystæ  
Deferens vni, propriamq; laurum,  
Quisquis irascens animo inquieto  
Crimina taxat.*

## AD ODEN QVARTAM.

*Ad nobilissimum virum Caium Ranzoui-  
um monens studium poeseos & exer-  
citium carminis scribendi non  
esse omittendum.*

*N* Et tibi Muse sit amor pudori  
*CAIERANZOVI: prius eruditos*

C 3

Mouit



*Mouit Heroas facie venustâ*

*Dia Poësis.*

*Mouit Augustum patriæ parentem*

*Vena facundi sapiens Maronis.*

*Lusit Arpinas medio in triumpho*

*Carmina Rhetor.*

*Callide postquàm patuere fraudes*

*Ciuum prauorum, & abire iussus*

*Patriæ tuam Catilina pacem.*

*Reddidit exsul.*

*Nescias an te titulis poëta*

*Musa Parnassi decoret sub umbris:*

*Inclitum certè genus, & beatos*

*Sponder honores.*

*Crede non illam tibi cum proteruâ*

*Plebe remnendam, quasi despicata*

*Credulos lactet nimium sinistris*

*Spebus alumnos.*

*Commoda & fructum propriasq; doteis*

*Integer laudo: fuge suspicari*

*Cuius in verbis mala fraus latere*

*Credita nusquam.*

AD ODEN VI.

AD



AD PVBL. VIRGILIVM MA-  
ronem. AENEIDOS & ODARUM HORA-  
tij Flacci laus.

**V**irgili campos aditure mecum, &  
Auij informem nemoris recessum, &  
Vitreos fontes, ubi grata semper  
Sibilat aura:

Factum opus cura tibi diligenti,  
Sit mea diues precium iuuenta:  
Sit scopus constans studij & laborum,  
Ingenijq;

Vnde si dura prohibent Camæna,  
Molle Dircaei aggrediar Poëta  
Carmen, & tentabo fides sonoras  
Vatis Horati:

Ille cycnorum mihi præter omnes  
Vnicus videt: quia non Achiuis  
Vatibus cedit, celebremq; tentat  
Vincere Romam.

Res habet multas, proprijsq; vestis  
Cuncta lemniscis: ut ubiq; comptus  
Artis, & vena facilis potentem  
Arguat usum.

C 4

Ille

D



Ille me clemens fouet, & beatis  
 Instruit iussis: ab eo reuersus  
 Debita crines decorabor herba  
 Auspice Phoebō.

## AD ODEN IIX.

In Christum redemptorem.

Vlla si mortis tibi seuientis  
 Pæna, Rex regum, nocuisset umquam,  
 Mente si fluxa fieres vel alto  
 Mollior ore:

Cederem. sed tu, simul obtulisti  
 Regium cedi caput, enitescis  
 Pulcrior multò populiq; prodis  
 Publica cura.

Expedit furvæ proceres Gehennæ  
 Vincere, & toto furibunda Noctis  
 Monstra cum inferno, rutilaq; pestes  
 Luce carentes.

Gaudet hoc, inquam, pater ipse, gaudent  
 Alites casti, chorus & piorum,  
 Semper argutos medians amica  
 Voce canores.

Adde



*Adde quòd plebes tibi credit omnis:  
 Seruitus crescit noua: nec priores  
 Redditi iussis domini resistunt  
 Sæpe minati.*

*Te suis matres precibus fatigant,  
 Te senes casti: miseramq; nati  
 Nuper in lucem, tua ne relinquat  
 Aura rogantes.*

## AD ODEN IX.

*Ad Persium, vt ab amoribus desinat.*

*N*on semper Iris nubibus implicat  
 Terras, per agros: aut mare Gallicum  
 Turbant inoffense Triones  
 Vsq;: nec Italicis in oris  
 Amice Persi, flat Zephyrus dies  
 Blandus per omnes: aut nebulonibus  
 Querceta Syluani laborant,  
 Qua timidi spoliantur auro.  
 Tu semper ardes delicias tuas  
 Mixen puellam, nec tibi Lucifer  
 Ignes ademit molliores,  
 Nec Venerem Hesperus impotentem.





*At non ter ardens Phylla Cupidinem  
 Ludebat omnes molliculum salax  
 Annos: nec errantem nouerca  
 Hippolitum, aut Dryades puella  
 Arsere semper. desine vestium  
 Tandem venustarum: & potius leues  
 Fingamus auriti triumphos  
 Anseris, & Polypum madentem.  
 Runcumq; vatem sedibus additum  
 Nostris: venenum gignere viperas:  
 Intraq; cancellos Poetas  
 Exiguus latitare clatris.*

*Franciscus Hildensemus.*

AD ODEN XI.

Ad Daniele Hoffmannum Theolo-  
 gum, Christo fidentibus non  
 metuendum esse.

**Q**uid Cinglianus mobilis, & Papa  
 HOFMANE praestans cogitet, Alpibus

*Diuis-*



Diuisus obiectis, remittas  
 Quarere, nec trepides aperto  
 Verum fateri voce. perit citò  
 Rerum suppellex, & decor, impetu  
 Virgente viuacis senectæ  
 Cunctaq; comminuentis atra.  
 Non splendor idem permanet impijs.  
 Semper, neq; uno fors facilis niter  
 Vultu. quid infestis pauentes  
 Exsilijs animi tremiscunt?  
 Cur non in adis limine supplices  
 Domoue nostra fundimus ad Deum  
 Preces, & infectos reatu  
 Corrigimus pietate sensus  
 Iuuante Christo? Spiritus amouet  
 Curas edaces. quis mihi protinus  
 Proponit exemplum vetusti  
 Temporis ex veterum libellis?  
 Quis deuiâ custodit ab orbita  
 Palantem? Olympo Spiritus aliger  
 Descendat & contra malignos  
 Christicolas tueatur hostes.

AD



PAROD. HORAT.  
AD ODEN XIII.  
In Arcadem Poëtam.

**I**lla & nefasto te peperit die,  
Quæcumq; furtim, & monstrigero sinu  
Eminxit, Arcas, in bonorum  
Perniciem, opprobriumq; mundi.  
Illam & sororis crediderim suæ  
Rupisse matricem, & genitalia  
Subasse nocturno furore  
Demonis. Illa pudenda Galli-  
Ca, & quicquid usquam subrigitur nefas  
Tentaui, alio quæ genuit sua  
Te triste monstrum, te furentem  
In Prytani caput innocentis.  
Cui quisque fidat, nusquam homini satis  
Notum est in oris, rustica nobilem  
Pubes perhorrescit, neq; extra  
Rura timet peregrina damna.  
Exsul trivemes & celerem manum  
Civis, tyrannos civis & aulicum  
Virus, at improvisa vulgi  
Vis ferijt, ferietq; multos.  
Quam vana stultæ tela protervia  
Ac dedolatum vidimus Arcadem?

Librosq;



Libroſq; tortores malorum, &  
 Socraticis calamis potentem  
 Vnum latinis de melioribus  
 Te te canentem lenius hostico  
 Lysippe filo, dira Brontis  
 Diraplani mala, dira furum.  
 Te namq; nervo tanta Platonico  
 Miramur omnes pangere: sed magis  
 Lites & exuros Cethegos  
 Sollicito legit ore laesus.  
 Quid mirum? ubi illis fulminibus stupens  
 Eructat atros belluo Saxipes  
 Ronchos, & infamis retorti  
 Nieteride cruciantur ungues?  
 Quin & Pyracmon & Steropis nepos  
 Tristimulorum concutitur sono:  
 Nec audeat Hipponax Achivas,  
 Aut Latias lacerare Musas.

Franciscus Hildensemis.

AD ODEN XV.

In sæculi nostri dissidia.

I Am parua votis tempora tetricæ  
 Lites relinquunt: undiq; latius

Excita



*Excita visetur nefando  
 Rixa modo: dubiusq; terror  
 Inuadet vrbes. tum mala iurgia  
 Clamorg; & omnis copia scommatum  
 Locum in cathedris occupabit  
 Materia meliore dignis.  
 Tum spreta dirum mutua caritas  
 Vitabit orbem. Non ita Spiritus  
 Prescriptum, & æterni Iehouæ  
 Auspicijs, veterumq; norma.  
 Præclarus illis ardor erat piæ  
 Consensionis: nulla fideliter  
 Ictum simulas inquieta  
 Ausa fuit violare fœdus.  
 Nec deuiantem spernere ouiculam  
 Leges sinebant, mentibus anxijis  
 Parci iubentes, & piorum  
 Corda sacro recreare verbo.*

## AD ODEN XIX.

*C*hristum in beatis mystica sedibus  
*Vidi docentem, credite posteri.*

Vm-



*Vmbraſq; diſcentes, & aures  
Spirituum aligerorum acutas.*

*Ohe recenti mens trepidat metu,*

*Plenoq; flatus pectore turbidum*

*Bacchar. ohe perge Ieſu*

*Perge meos ſtimulare ſenſus.*

*Fas innocentes eſt mihi Apoſtolos,*

*Cœruſq; blandos, vocis & vberes*

*Sonare nimboſ, atq; linguis*

*Sparsa nouis iterare iuſſa.*

*Fas & proternæ crimen hypocrifiſis*

*Palam reſectum, ſenſaq; deuia*

*Monſtrata, doctõrum ſtupente*

*Ingenium geniumq; turba.*

*Tu parcis hoſti, tu regis inſcios:*

*Tu ſeparatis abditus in iugis*

*Cibum miſtras liberalem,*

*Mille viris totidemq; nuptis.*

*Tu cum parentis fraudibus improbis*

*Primos gehennæ falleret arbiter:*

*Noxam remiſiſti & libenter*

*Supplicium graue pertuliſti.*

*Quamquam Iehouæ filius, & Deo*

*AEqualis ipſi, non ſat idoneus*

*Leſho*



*Letho videbaris: sed idem  
 Mortis eras mediūsq; pacis.  
 Te vidit acri Cerberus inquis  
 Ira tumentem, carcere liberans  
 Manes, & abscedentis beatos  
 Ore pedes Stygio momordit.*

ALIA PARODIA AD  
 eandem.

**A** Morem ocellis flammeolis heræ  
 Vidi insidentem, credite posteri,  
 Fratresq; circum ludibundos  
 Cum pharetra volitare & arcu.  
 Eheu pauore cor trepido salit,  
 Mensq; icta amoris numine deuium  
 Lymphatur: eheu parce relis  
 Parce graui puer acer igne.  
 Fas inquieta sit mihi gaudia  
 Curasq; dulces, cuspidis & tunc  
 Vorua vulnera atq; amicū  
 Arte lyra celebrare amarum.  
 Fas & parentis regna Amathusidos  
 Porrecta latè dicere, partaq;

Tropea



*Tropea de Titane, & astus*

*Mulciberis malè pertinaces.*

*Tu vim leonum, tu tigridum domas*

*Ceteq; & vros: perq; acies truci*

*Dextra Graduum fulminantem*

*Mitem animum placidumq; reddis.*

*Tu post Gigantum terrigenam manum*

*Fusam fugatam, tela Diespatri*

*Irata tollis: tu relicta*

*Coniuge sidereisq; regnis*

*Quandoq; i auro dissimilem sui*

*Abdis, vel auro, iam gelidis cygnum*

*Vris sub undis: iam sabacem*

*Destruis in Satyrum aut in hircum.*

*Te bruta tellus, te maris equora*

*Cælumq; & inuisi horrida Tartari*

*Sedes veretur: te veretur*

*Ipsa Hecate patruusq; Pluto.*

*Ianus Lernæius.*

AD ODEN XX.

**N**on insolenti nos dubia ferar

*Via uniformis per superum igneas*

*Amator arces: atq; nexu*

*Corporis ante obitum exsolutus*

**D**

*Terre-*



Terrena spernam. nil capiet mei  
 De parte sacra Persephones nocens  
 Tagaxq; Parca, stamen occet  
 Ut lubet è tribus una nostrum.  
 Iam iam repulsà nocte animi, vigor  
 Conturbat intus, atq; hominem procul  
 Exturbat agrum concitoq;  
 Pectus obit agitatq; motu.  
 Iam mens inerti carcere libera  
 Supra maligni tramitis obices  
 Curru cupidinis leuata,  
 Euehitur per inane magnum:  
 Interg; cæli septa Quiritium,  
 Et Gratiarum virgineum chorum,  
 Qua Cyprius mouetur orbis  
 Ipsius in gremio Diones.  
 Letatur omni letitia: & Dea  
 Agnoscit expressam effigiem suæ  
 Ardetq; miraturq; & in se  
 Linqvitur illecebra decoris.  
 Frustrà latebris lux penetralium  
 Peplog; gaudes: nusquam oculis abes  
 Inuisa nostris. mitte peplum  
 Mitte supernacuas latebras.

Ianus Lernutius.





HENRICI MEIBOMI  
MILEMGOVIENSIS

PARODIARVM HORATIANARVM


LIBER SECVNDVS.



D 2

PA.





P

Or

Az

Ac

Az

Iny

Ne

Na

Og

Ne







*P A R O D I A E A D L I -  
B R V M T E R T I V M C A R -  
m i n u m H o r a t i j .*

*A D O D E N X .*

*A d P a p a m A n t i c h r i s t u m E c c l e s i a e  
q u e r e l a .*

*A R e t o u m T a n a i m s i b i b e r e s P a p a ,  
A C r u d i v e r n a S c h y t a , m e t a m e n o m n i b u s  
O r b a t a m a u x i l i j s o b i j c e r e i m p r o b i s  
P l o r a r e s n e b u l o n i b u s .*

*A u d i s q u o g e m i t u G a l l i a , q u o s o l u m  
A d R h e n i p o s i t u m f l u m i n a v e r b e r e s  
A u r a s , & m i s e r o s v e x e t v t i n c o l a s  
P a e n a v i n d i c e C a n t a b e r .*

*I n g r a t a m s u p e r i s p o n e f e r o c i a m ,  
N e c u r r e n t e r o t a f u n i s e a t r e t r o .  
N o n t e c a r n i f i c e m s a n g u i n e u m p i j s  
A E t e r n u s s t a t u i t p a t e r .*

*O q u a m u i s n e q , t e l a c r y m a , n e c p r e c e s ,  
N e c d o c t r i n a s a c r i s c o n v e n i e n s l i b r i s ,*

*D 3*

*Nee*



*Nec vita innocuis candida moribus  
 Mollis. supplicibus tuis  
 Parcas. nec rapidâ tigride mollior,  
 Nec tortis animum mitior anguibus.  
 Non hac semper erunt praesidij, aut opis  
 Caelestis vidua agmina.*

AD ODEN XII.  
 IN NEBVLONEM.

**N***Ebulonum est neq<sub>3</sub> honori dare mentem,  
 Neq<sub>3</sub> vultu bona puro colere, aut ex-  
 Agitari meditâtem puidae scommata  
 Tibi sensus meretricis pudor excors (linguae.  
 Tibi libros, numerosiq<sub>3</sub> Platonis  
 Studium aufert Nebuloni macerata decer  
 Equa matrum soboles Thessalicarum, (Hebes:  
 Neq<sub>3</sub> telo, neq<sub>3</sub> blandis satur armis,  
 Vbi nudus resupinis iuuenis dormit in vlnis.  
 Lupa solers per opacum salientes  
 Furioso pede lenas agitare, &  
 Cata molli latitantem salicero excipere  
 (Hebrum.*

*Franciscus Hildensæmus.*

AD



## AD ODEN XIII.

Ad Iuliam Academiam.

**O** Flos Saxonie candidior cygno,  
Cultis digne modis, non sine plausibus,  
Iam canabere versu:

Cui ros nectaris insidet.

Cui liuor rabie luridus obuiat

Frustrà: nam lepidas adijciet tibi

Famae perpetis auras,

Argute strepitus lyrae.

Te fallacis atrox ira proteruia

Nescit ledere: tu pignus amabile

Plenis numine templis

Spondes, & iuuenum choro.

Fies Gymnasium tu quoq; nobile,

Me dicente viros artibus inclitos

Multis, unde iuuentus

Artes haurit idoneas.

## AD ODEN XV.

In Pontificem Romanum sui muneris  
& officij oblitum.

D 4

Proles



**P**Roles Daemonis inferi,  
 Tandem perfidia pone modum tua,  
 Infandisq; negotijs,  
 Praefectus humili desine muneri  
 Instar vivere principum,  
 Et flammis miseros urere perditis.  
 Non, si quid Phalarin, satis  
 Et te P A P A decet. Cantaber equius  
 Oppugnat superum fidem,  
 Stricto crudus vii Maurus acinace.  
 illum cogit atrox furor  
 Immitis similem vivere bellua.  
 Te mores sine crimine  
 Turpis luxuria, non rabies decet,  
 Nec vis ingenij trucis,  
 Nec loti residem sanguine pollices.

## ALIA AD EANDEM.

In Studiosum luxui & petulantiae  
 addictum.

**C**vltor Palladis innuba,  
 Tandem stultitiae fige modum tua,  
 Infamiaeq; licentiae.  
 Obscuro potior desine rustico

Instar



*Instar viuere militis,*

*Et factis animum perdere turpibus.*

*Non si quid Lapithas, satis*

*Et te caste decet. rectius belluo*

*Oppugnat latera adium,*

*Vdo taurus vii concitus inguine,*

*Illum venter edax facit*

*Lasciuæ similem viuere bellua:*

*Te libri sapientiæ*

*Autores humilis, non frameæ decent.*

*Nec vox cornigeræ bouis,*

*Nec poti inuenem face tenus cadè.*

AD ODEN XXIII.

In Harpalum.

**F** *Vrca supinos si dederis pedes*  
*Ridente Phæbo, furcifer Harpale:*

*Si morte placaris, & aqua*

*Sorte Deas, meritisq; pænis:*

*Nec pestilentem sentiet aërem*

*Germana pubes, nec fragilem Ceres*

*Lolliginem, aut Phæbi sorores*

*Lethiferis graue pondus auris.*

D I

Nano

Far





*Nam qui salebris intonat horridis  
 Periurus aulas inter & angures,  
 Aut surgit alternis in oris  
 Proditor, Oemonias repente  
 Scalas subibit, te nihil adiuvat  
 Turbare vita, fronte calumnijs  
 Puras piaturum supina  
 Morie Deas tumidisq; fibris.  
 Infesta furcam si decorat manus,  
 Non gratiosa carior hostia  
 Placabit iratas Camænas  
 Ventre Caco & trepidante colo.*

*Franciscus Hildensemus.*

AD ODEN XXVI.

Ad Iunonem, consecrans ei instrumenta  
 studij poëtici, & orans vt hominum ab  
 eo alienorum insolentiam  
 castiget.

**V**ixi Camænis nuper idoneus,  
 Et metra finxi non sine gloria:

*Nunc*



*Nunc pleetra, defunctumq; Musis  
 Barbiton hic paries habebit:  
 Iunonis alnum qui terrica latus  
 Custodit, hic hic ponite ludicra  
 Volumina, & lauros & orbes.  
 Articulis iuuenum decoros.  
 O que beatam Iuno tenes Samum, &  
 Feris scatenem turpibus Africam  
 Regina sublimi flagello  
 Tange Midas semel impotentes.*



*P A R O D I A E A D L I  
 B R U M Q V A R T U M C A R  
 minum. Q. Horatij.*

AD ODEN III.

Ad Deum omnipotentem.

*Q Vem tu, summe Deus, semel  
 Dignatus fueris lumine patrio,  
 Allum nulla necessitas  
 Transuersum rapiet: nec licet impigri  
 Succum-*



*Succumbet Satana dolis*

*Deuictus: neq; res hunc quatiens male  
Nec blande poterint magis*

*Tentare illecebræ fortia pectora.*

*Quasuis apta pati vices.*

*Sed qui sidereo vertice labitur*

*Flatus, se insinuans pijs*

*Finget perpetuo munere nobilem.*

*Mater, quæ præit omnibus*

*Ciues ipsa suos inter amabiles,*

*Gaudet ponere me libens:*

*Et iam dente minus mordeor improbo.*

*O linguæ cupida loqui*

*Dulcem qui strepitum, mi Deus, accipis.*

*O mutis quoq; piscibus*

*Donature cygni, si libeat, sonum,*

*Totum muneris hoc tui est,*

*Quod nigris Erebi faucibus erutus,  
Assertus tibi sum pater:*

*Quod spiro & placeo, si placeo tuum est.*

*Petrus Monauius. D.*

AD IESVM CHRISTVM.

*Quem*



QVem tu Christe puer semel  
 Electum placido lumine videris,  
 Illum non furor impius  
 Eueriet Satana: non gula, non Venus  
 Vinculis ducet aheneis  
 Adstrictum, neq; vis hostica deuium  
 Et segni sterilem fide  
 Ad regum tumidas qua trepidet minas,  
 Excludet superum choro.  
 Sed, quam riuus aqua leniter irrigat  
 Felix par erit arbori,  
 Aeternum viridi gramine fertili.  
 Caeli principis orbium  
 Dignata est suboles me inter amabiles  
 Septi hos ponere surculos:  
 Et nunc igne minus vexor ab insito.  
 O qui fluminis hoc sacri  
 Ditas siderio numine riuulos,  
 O cordi quoq; saxeo  
 Donatura hilarem, si libeat, fidem,  
 Totum muneris hoc tui est  
 Quod signor calamo principis alitum

Horti



*Horti plantula nobilis,  
Quod credo, & fidibus te celebros, tuum est.*

*Nathan Chytræus.*

AD SPIRITUM SANCTUM.

**Q***Vem tu, Suavis amor, semel  
Ardentem rapido fomite ceperis,  
Illum non furor Euius*

*Raptabit comitem, non locus impudens  
Cœtu iunges adultero*

*Rivalem, neq; res perpera lubricis  
Devotum vitijs ducem,*

*Ceu legum veritas institerit vias,  
Transmittet Stygio foro:*

*Sed qua crimen aqua futile diluunt,  
Et gutta laterum rubra*

*Fingent ætherio munere cœlitem.  
IOVAE vindicis omnium*

*Hortatur soboles iam variabiles  
Morum relinquere me tropos,*

*Et iam labe minus polluor impiâ.  
O caliginis obuia*

*Tristem qua glaciem, fax sacra, temperas.*

*O cæcis*



O cæcis quoq; regibus

Discussura animi, si libeat chaos.

Totum luminis hoc tui est

Quod demor numero transgredientium

Cælestis metuens heri.

Quod spero & satago, si satago, tuum est.

Paullus Melissus Comes

Palatinus &c.

### AD RELIGIONEM.

Qvem tu Relligio semel

Diuinis radijs luminis imbues,

Illum nec Papa perfidus

Terrebit gladio: nec nouus acrium

Sectarum furor opprimer

Incautum, neq; gens Isacidum, DEI

Nato cedere pernicax

Inuitum ad veterem stultitiam trahet,

Auratum ut vitulum colat.

Sed partim veteris scripta voluminis,

Partim fœdus eum nouum

Cælesti faciet flamine nobilem.

Iamq;



Iamq; Ecclesia brachijs  
 Gaudebit placidis inter amabiles  
 Illum ponere filios,  
 Ut porrò insidias nil metuat Stygis.  
 O IESU, patris optimi  
 Felix progenies: sola hominum salus:  
 O genti quoq; barbaræ  
 Donature poli, si cupiant, domum.  
 Totum muneris hoc tui est  
 Quod falso procul à dogmate, rectius  
 In sancta institutor fide.  
 Quod credo, ac amo te, si modo amo, tuum est.

Matth. Wackerus. D.

### AD VITAM.

O Vem tu, vita, tuo semel  
 Perstrictum placido lumine ceperis,  
 Illum non vagus Adria  
 Iactabit cupidum: nec creperet vices  
 Audentem in fera praelia  
 Raptabunt, neq; fors aulica, callidis  
 Oculum ingenij artibus,  
 Quod regum obsequio subdiderit caput

Adscri-



*Adscribet procerum ordini:*

*Sed qui sanctus amor dulcacido madet,  
Et formæ insolitus lepos*

*Diffundent liquido nectare cœlitum.  
Cœli me rota tertij*

*Concinnat Charites inter amabiles,  
Ac sacrum Veneri gregens*

*Et iam mole minus corporis aggrauor.  
O mortalibus inuidas*

*Mentis quæ tenebras lux mea discutis:  
O seculo quoq; reptili*

*Incussura aquila si libeat volatum.  
Ex omni & merito tuum est,*

*Quod cura vacuus degeneri feror,  
Nil diuos tacitè obsecrans.*

*Quod viuo, & valeo sumq; meus, tuum est.*

*Ianus Lernutius.*

## AD IESVM CHRISTVM.

**Q***uem tu Christe Deus semel  
Nascentem placido numine foueris  
Illum non merus inferum*

*Euertet rabida non hominum mina*

*E*

*Recto*



*Recto deijcient gradu  
 Captum blanditijs, nec Venus improba  
 Non conuiuia nec ioci  
 Nec fame suis & cura pecunia  
 Reddent dissimilem sui:  
 Sed quæ lex d' omni dogmata continet  
 Et vatium tabule sacra  
 Accendent studio perpetuo tui:  
 Rerum conditor optimus  
 Dignatur miserum me quoq; ciuibus  
 Regni adscribere cœlium,  
 Et iam regna minus curo fugacia.  
 O desiderium tui  
 Quantum Chryste meo pectore concitas.  
 O duris quoq; cantibus  
 Cor ficture, velis si modo, cereum.  
 Totum muneris hoc tui est  
 Vitam reddideris quod mihi perditio:  
 Mente & sensibus integris  
 Quod spirans hilarè perfruo, est tuum.*

Lambertus Pithopœus.

AD



LIBER II. 51  
AD SIMPLICITATEM.

**Q**uem tu simplicitas semel  
Morarum lepido pollice finxeris:  
Illum non tumor insolens  
Inflabit miserum, non levis ambitus  
Vulgo suster inutili,  
Captantem: neq; res publica grandibus  
Praefectum officijs senem,  
Quod fasces patria gesserit inclitas,  
Iunget nobilioribus.  
Sed quae summa fugit sponte modestia,  
Et lenes animi imperus,  
Abdent in latebris exiguae domus.  
Candor res peramabilis  
Dignatur humilem me quoq; reddere  
Fastus crimine liberum:  
Et iam summa minus tracto negocia.  
**O** pruriginis insita  
Crudam qui scabiem mos sacer cluis:  
**O** plebi quoq; saxae  
Donature habitus, si libeat, bonos.  
Totum muneris hoc tui est,  
Quod demor numero luxuriantium

E 2

Cærus



*Cæus portio nobilis:*

*Quod scribo & placeo, si placeo, tuum est.*

*Henricus Meibomius.*

AD ODEN V.

Ad illustrissimum principem Fridericum  
Holfatiæ ducem, Votum  
patriæ.

**D**ivis orbe bonis optime patriæ  
Custos gentis abes iam nimium diu:  
Maturum reditum pollicita est sibi  
Iampridem patriæ, ab redi.  
Lucem redde tuæ dux bone patriæ:  
Nam vultus ubi lux clara micat tui  
Instar veris & hic Sol melius nitet,  
Cunctis gratior ille dies.  
Non sic agra parens filiolum unicum  
Deserta ac viduo sola iacens thoro  
Absentem patriæ longius à domo  
Momentis vocat omnibus:  
Quàm desiderijs icta fidelibus  
Votis, omnibusq; & precibus vocat:

Cun-



*Cunctantemq; nimis iam nimis ab diu*

*Quærit patria principem.*

*Tu custos patriæ, tu pater optimus*

*Prudens consilij pacis amans piæ:*

*Carus Pieridum fontibus & choris*

*Et carus Themidi sacra.*

*Tecum sancta fides iustitia soror*

*Tecum religio, nudaq; veritas*

*Et virtus redit huc & Sapientia*

*Et pax almaq; faustitas.*

*Quis Moscum paveat? quis gelidum Schyten?*

*Quis Oenotria quos factio parturit*

*Fœtus, incolumi principe? quis feræ*

*Bellum curet Iberia?*

*Condit quisq; diem mœnibus in suis,*

*Et securus agros quisq; colit suos:*

*Hinc ad templa redit lætus, & altera*

*Pro te vota facit duce.*

*Te multa prece te, prosequitur frequens*

*Iam votis populus: quin laribus tuum*

*Misce numen uti Græcia Castoris*

*Et magni memor Herculis.*

*Longaso utinam dux bone ferias*

*Præstes Holsatiæ: clamitat integro*



*Cætus manè die : clamitat & magis  
Cum Sol Oceano subest.*

*Nicolaus Reusnerus.*

AD ODEN XII.

Inuitans studiosam iuventutem ad Ho-  
ratiij Poëtæ lectionem & cognitio-  
nem diligentem.

**I***am brumæ comites, quæ mare permeant.*

**I***deturpant animæ pascua Thracia,  
Iam nec prata virent, at fluvij strepunt  
Hiberna niue turgidi.*

*Nidum ponit avis flebiliter gemens  
Cæcyca Halcione coniugij boni  
Æternum specimen ni male pertinax  
Turbasset Lachesis thorum.*

*Texunt sub tepido fornice pinguium  
Pastores ouium vimine fiscinas:  
Delectantq; Deum, cui pecus & nigra  
Rupes Hercinij placent.*

*Discendi iuvenes tempus adest: age  
Arguti calamos noscere Horatij*

st



*Si gestis iuuenum nobilium cohors  
Præsens multa lucrabere.*

*Vnius spacium scilicet horula,  
Quod nunc Pierijs traditur artibus  
Res donare potest largiter vberes,  
Verborumq; erit efficax.*

*Ad qua si properas munera, cum pia  
Velox aure veni. non ego te meis  
Deirecto docilem fingere Gratijs  
Plenum diues ut ad lacum.*

*Verum pone moras, & studium meri,  
Vernantisaq; memor, dum licet, indolis,  
Misce consilijs ludicra serijs.  
Turpe est negligere in loco.*



PARODIAE AD LI-  
BRVM EPODON Q.  
Horatij.

AD ODEN SEXTAM.

E 4

Onile



**O** Vile quid pauperculum vexas canis,  
 Imbellis aduersum lupos?  
 Cur idem in acres euomis canes minas  
 Eiusdem ouilis vindices?  
 Quin mox remorsuras laceßis aut tigres  
 Vulpeculasue subdolas?  
 Quarum vel aspectu unico obmutesceres  
 Cauda sub aluo condita.  
 Nedum experiri dentium vel unguium  
 Vim prorsus efferam queas.  
 Nam cum tremenda voce complesti omnia,  
 Mox buccas offa voras.  
 Caue caue namq; in canes asperrima  
 Tales lehouæ est ultio.  
 Qui voce magna turgidi mordent nihil  
 Se præter ipsos inuidi.  
 Vrsi & Leones interim vt crudelius  
 Agnos inultos deuorent.

Nathan Chytræus.

AD ODEN VII.

**Q**uò quò furenter ruitis? aut cur dexteris  
 Striguntur enses fulgidi?

Parum.



Parumne passim Christiani sanguinis  
 Fusum est locis in plurimis?  
 Non ut perennem ex arcibus Byzantij  
 Germanus hostem pelleret:  
 Papæ in ipso ceu sinu Germaniæ  
 Vim seuientem auerteret.  
 Sed ut secundum vota Turcarum & Papæ  
 Sua hæc periret gens manu.  
 Neq; hic apris mos, nec fuit serpentibus  
 In dispares solum feris.  
 Rabiësne vesana an rapit fatum acrius,  
 An noxa? quid sit dicite.  
 Silent, & ora pallor albus occupat:  
 Animiq; percussi stupent.  
 Sic est: acerba fata Germanos premunt:  
 Verbiq; contemptus sacri  
 Ingratus: & doctrina vitæ dissona:  
 Spretusq; martyrum cruor.  
 Tot innocentum, quo velut terra ebrïa  
 Rursus nocentes euomit.

Nathan Chytræus.

AD ODEN IIX.

E S

Roga-



**R**ogare multo sordidum te crimine  
 Sensus quid alteret meos?  
 Quum sit tibi perfricta frons, & impotens  
 Mores libido torqueat:  
 Spireniq; turpes undiq; insolentiam  
 Mores velut divi Schytae.  
 Sed incitat me census & gaze breves  
 Nocturna quales somnia.  
 Fundusq; pinguis & lacus comantibus  
 Viriq; sylvis additus.  
 Esto beatus omne quod est vsquam  
 Opum seris abscondito.  
 Nec sit Lyaei cui solum feracius  
 Agerue leti graminis.  
 Quid, quod modesti cum modestis indies  
 Obambulant libentius?  
 Nec literati ferre Mopsos sustinent  
 Aut belluones improbos.  
 Quod ut seueris impetres à cœtibus,  
 Mutanda vita erit tibi.

FINIS PARODIARVM  
 Horatianarum.

PA-



LIBER II. 59  
PARAPHRASES IN  
TRES ODAS Q. HORATII  
FLACCI:

*Vna Iohannis Maioris Ioachimi,  
duæ Henrici Meibomij Lem-  
gouiensis.*



PARA-

A-



## PARAPHRASIS ODES

primæ libri primi Q. Horatij  
Flacci.

## AD MAECENATEM.

**R**egia progenies, cui nobilitatis origo  
Scandit ad Hetruscos indubitata patres:  
O decus & fama merito pars maxima nostra,  
Fulmine percussa confugiumq; rati.  
Est quis Olympiaco cui sparsus puluere currus,  
Et placet in gyros ire coactus eques.  
Palmaq; non facili sudore parata, potentes  
Ad terra dominus euehit usq; Deos.  
Hunc si Romane rata per suffragia plebis  
Curia tergemino diues honore beat.  
Illum si Libycas & ditia Gargara messes  
Stridenti in proprias auehat axe domos,  
Nulla vel Attalici splendens opulentia regni,  
Fer mare difficiles coget inire vias.  
Luçantē Icarijs madidū cum fluctibus Austrū  
Mercator salsis naufragus horret aquis.  
Horret, & in patrio sua predicat ocia rure,  
Plena suburbanis ocia delitijs.  
Mox, ut mutata placuit sententia menti,  
Naufragij tabulas colligit ipse sui.

Impi-



Impiger & quarens diuisos orbe Britannos,  
 Nescit egestatem pauperiemq; pati.  
 Est quoq; qui madidus praelis elisa Falernis,  
 Arbore sub viridi gutture vina trahit.  
 Nec spernit longos potando condere soles,  
 Fontis ad irriguas lene sonantis aquas.  
 Multos castra iuuant rigidig; pericula Martis  
 Cum tuba terribili perstrepu vnica sono.  
 Sub Ioue venator gelidig; sub aetheris axe,  
 Immemor optata coniugis vsq; cubat:  
 Annosamq; dari pecora inter inertia ceruam,  
 Currere vel celsis montibus optat aprum.  
 Me victrix hederæ laurig; corona virentis,  
 Astra super curru precipitante lenat.  
 Me niger & multa celeberrimus ilice lucus  
 Seiunctum à vili, Musag; plebe fouent.  
 Si fauet Euterpe & felix Polyhymnia cantu:  
 Si dabitur lyricos inter habere locum,  
 Summa verecundis contingam sydera plantis:  
 Vix aliquis qui me nomine vincat, erit.

Henricus Meibomius.

PARA-

ES

res:

a,

rus,

os,

ni,

ustris

is.

e,

Impi-



PAROD. HORAT.  
PARAPHRASIS

Elegiaca Odes XII. Libri secundi  
Q. Horatij Flacci, Ad Mæ-  
cenatem.

**N**E iubeas nostris aptari bella Camænis,  
Mæoniâ melius commemoranda iubâ.  
Annibal, & diram perpeffa Numania cladem,  
Fractaq; in Anfonio Punica vela mari,  
Materies lyrico non est accommoda pleçtro:  
Haud venit in tennes res operosa modos.  
Qualia narrantur Lapitharum prælia, qualis  
Herculeo domitus fortiter ense Gigas.  
Vnde domus superû tremuit minitata ruinam,  
Horruit & vasto pondere pressus Atlas.  
Rectius historico deducet prælia filo  
Mæcenas priscis regib. orrus eques.  
Interea notas sectabor idoneus artes,  
Et domine formam commemorabo mea.  
Fulgentes oculos, crySTALLINA membra, leporem,  
Quiq; placet nulla factus ab arte decor.  
Sine iocos miscet, teneris seu iuncta puellis  
Ornat amabilibus publica festa choris.  
Num tu barbaricû locupletis Achæmenis aurû  
Diuitis ingenteis aut Orientis opes,  
Permu-



*Permutare velis pro crine decentis amica?  
 Callida dum flammis duplicat arte suas.  
 Quaeq; rapi malit negat oscula durior, vitro  
 Mox eadem labris admouet ipsa tuis.*

*Henricus Meibomius.*

**PARAPHRASIS ELE-  
 GIACA ODAE XIV.**

*Libri 2.*

**AD POSTVMVM.**

**H***Ei quædam præcipiti labuntur tæpora cursu!  
 Quàm breuis & multo vita labore venit!  
 Non pietas adferre moram grauioribus annis,  
 Indomitam poterit nec cohibere necem.  
 Non, si multa bouum mactares corpora morti,  
 Et cadat inferno victima crebra Deo.  
 Ille & Geryonem vasta cum mole iacentem,  
 Et Tityum in tristi detinet ille lacu.  
 Omnibus est innanda palus inamabilis unda,  
 Sine alto, aut humili sanguine natus erit.  
 Ipsa licet scabra pereant rubigine tela,  
 Vfus & armorum nullus in orbe foret:*

*Adria*



*Adria nec fractis illidens littora ab undis  
 Hauriat equoreis corpora mersa vadis:  
 Nec grauis Autumnus morborum semina spar-  
 Nec vicio cœli missa sit vlla lues: (gat,  
 Attamen in Stygio lentandus flumine remus,  
 Et pigra Cocytii sunt superanda vada.  
 Illic & Danaï polluta crimine nata,  
 Sisyphus & longo saxa labore gerit.  
 Non te nec gemmæ, nec fului dona metalli,  
 Quæq; tenes culti iugera multa soli:  
 Non sedes Pario de marmore structa, nec vxor  
 Candida, se in mores vertere docta tuos.  
 Nec tibi quæ frondet lucos imitata Deorum  
 Arbor ad infernas vlla sequetur aquas:  
 Quæ nigra cupressus, quæ sit tibi funeris index,  
 Cætera erunt alijs morte relicta tuâ.  
 Custodita bibent discincti vina nepotes,  
 Turpiter & duro sub pede pressa fluent.  
 Qualia Pontificum mensis libata secundis  
 Candidus auratâ feri puer in paterâ.  
 Quare concessis tibi, dum licet, vttere rebus,  
 Vtæ non vllam dij posuere moram.*

Ioannes Maior. D.

FINIS.



HENRICI MEI  
BOMI LEMGOVI  
ENSIS

SYLVARVM LIBRI  
DVO.



HELMÆSTADII

F LEVI-

ar-  
at,

xor  
s.  
p  
s:  
dex,

us  
D.

*Handwritten notes:*  
Johann Friedrich  
Friedrich





LEVINO ET IOHANNI  
à SCHVLENBURGK, FRA-  
tribus germanis,

&

SIGISMUNDO OTH-  
MANO VRATISLA  
VIENSI,

*Adolescentibus generis splendore  
& eruditionis laude præstan-  
tibus,*

Virtutis & magnificentiae pa-  
ternæ hæredibus lau-  
datissimis,

HENRICVS MEIBO-  
MIVS LEMGOVIEN.

*sis Academiæ Iuliæ pro-  
fessor*

*hosce*

SYLVARVM LIBROS,  
Musarum fautoribus  
DD.



HENRICI MEIBOMI  
MISYLVARVM LIBER PRIMVS.

Anagramma in nomen Henrici Iulij  
Episcopi Halberstad.

HENRICVS IVLIVS.  
VIS HERCVLIS VNI.

**Q**uid teneri solidos miraris corporis artus,  
Seu pedes arma gerit, seu sedet alius equo.  
Mascula belligeri VIS corrigi HERCVLIS VNI:  
Maius & humano robore robur habet.

Anagramma in nomen Iacobi  
Monauij. V. C. L.

IACOBVS MONAVIVS.  
IOVA BONVS AMICVS.

**I**OVA BONVS fidusq; malis in rebus AMICVS,  
Is faciet Monauij que facienda putas.

ALLVSIO ad nomen Hermanni Tu-  
lichij V Vestuali. V. C. L.

**T**ulichio nomen facundi Tullius oris  
Indidit, aut notus carmine Dulichius.



*Ingenio solers & voce disertus uterq;  
 Eloquio præstans non minus ille fuit.  
 Vicin utrumq; tamen pietatis imagine, cuius  
 Tullius ignarus Dulichiusq; fuit.*

Symbolum Henrici Iulij Episcopi Halberstadensis. D. B. & L.

PRO PATRIA CONSUMOR.

**P**ro regione meâ pro religione laborans  
 Censuræ & sensus attenuabo meos.

De Leone domus Brunsvicensis.

**G**entis Atestinae custos Leo maxime, famâ  
 Quæ poterunt laudes amplificare tuam.  
 Religio tua cura fuit, tibi seruij: Albis,  
 Quiq; sub imperio flumina Rhenus habet.  
 Te sacer ætherij Iouis ales & inclita Roma  
 Imperij voluit sceptrâ tenere sui.  
 Quàm latè populosa patet Germania, quantum  
 Extendit fines Italâ terra suos.  
 Quaq; meat Rhodanus, qua Vistula, Iberus, &  
 Prospera virtutis perstrepit aura tua. (Ister  
 Imbelles avium cætus, qui gutture fingunt  
 Dulce melos escis hospitioq; foves.

Sic



*Sic tumidos arces, timidis sic parcis, ut exors  
 Curia sit cura, sit casa cassa metu.  
 Sis felix saluusq; tuis: de stemmate Iudæ  
 Exsiliens tibi sit duxq; comesq; Leo.*

Ex Senecæ Epistola 87.

**S***Cipio Romana civis fuit utilis urbi,  
 Nec minus huic cano profuit ore Cato.  
 Dum licuit bellum pugnax indixit uterq;  
 Moribus hic pravis, hostibus ille malis.*

Ad Ianum Sedulium antiquitatis  
 admiratorem.

**V***Triste clarum mirentur secula vatem,  
 Quodq; facis cupida mente poema legant:  
 Desita conquiris flagrante vocabula nixu,  
 Ennius & quicquid Pacuviusq; vomunt.  
 Horrida stipatur priscis oratio verbis,  
 Et veter in torto carmine squalor inest.  
 Sic nostros veris superatos esse poetas,  
 Mollia qui facili carmina lege canunt.  
 Da veniam: vincunt ipsi tua carmina, quantum  
 Pubera senescentem femina vincit anum.*



Dictum D. Bernhardi.

Religio peperit diuitias & filia deuora-  
uit matrem.

**R**eligio censum peperit, sed filia matri  
Causa suae lethi perniciofa fuit.

Anagrammatismus in nomen Bartoli  
Richij. Iuriscons.

BARTOLVS | RICHIVS.  
CHRISTO VIR ALBVS.

Dū moror in terris me sordida crimina turpāt,  
Cum CHRISTO in cæli sede VIR ALBVS ero.

Furor fit læsa sæpius patientia

**L**Æsa nimis celeris patientia colligit iras,  
Fitq; furor multis exagitata malis.

In effigiem illustrissimi principis Iulij  
Ducis Brun: & Lun:

**Q**ualis erat princeps gentis Iosaphatus He-  
brea,

Ille Deo meritis proximus, orbis amor:  
Talis Atestina prognatus origine Guelfus,  
Ambiguum cælo dignior, anne solo.

Hoc



*Hoc duce Relligio sacris infecta Latinis  
 Eluit inuectum purificata nefas.  
 Adspice caniciem frontisq; decentis honorem:  
 In genij facies arguit alta decus.*

*Ad Magnificum & nobilissimum virum  
 Dn. Ioannem V Volfgangum Frey-  
 monium Roman. Imper. à  
 consilij.*

*M* Agne vir inuicti quem Caesaris aula potē-  
 Consilio & fandi dexteritate vehit: (tē  
 Si vacat, & grauium moles onerosa laborum  
 Exigui spacium temporis ire sinit:  
 Accipe paucarum tibi debita munera laudum,  
 Quiaq; sit hoc animus pectore disce libens.  
 Nobile iam pridem spaciosum penè per orbem  
 Nominis emicuit sidus & aura tui.  
 Pulpita doctrinā celebrant, fora mentis acumē,  
 Curia consilij vim sapientis amat.  
 Hæc tibi cōciliant proceres mundi q; monarchã:  
 Hinc memorat nomen Musicus ordo tuum.  
 Me, quo, si pateris, cultos iuuat inter olores  
 Indicio mentis prodere signa mea.



*Summus es, & merito statione locatus in illa,  
 Publica res oculum regis vocare potest.  
 Musa Patrocinijs orbata fidelibus audet,  
 Sospite te certam spem reparare sibi.  
 Quod fera bella silēt, pax laeta perābulat vrbes,  
 Est studij atq; opera pars preciosa tuae.  
 Felix imperium te praestite, viue Camoenis  
 Magne vir, & patriae viue vigeq; tuae.  
 Dum mihi vita comes, dum sanguis in artibus  
 Praeco tuae laudis officiosus ero. (illis*

In effigiem nobilissimi viri Ioachimi  
 Mynsingeri à Frundeck Iuris-  
 consulti celeberr.

**G** *Allia quē iactat, quem suspicit Itala tellus,  
 Ingenio cuius Teutonnis ora cluet,  
 Aspice Mynsingerum: non illo Scaeuola maior.  
 Iudicio, aut fandi munere Sulpitius.  
 Doribus his pietas accedit: ita omnia in vno  
 Quae decorant alios, singula iuncta nitent.  
 Christe sacerdotis sancto qui nomine gaudes  
 Institia mystas queso tuere bonos.*

In



In insignia Ioachimi Mynsingeri  
Iurisconsulti.

**A**ccipiri frustra tenduntur retia, cauta  
Aucupis occultos effugit arte dolos:  
Quē leuat ingenium laudatq; fama per auras  
Frustra liuor iners figere tentat humi.

## ELEGIA

AD REVERENDISSI-  
MVM ET ILLVSTRISSIMVM  
Principem ac Dominum, Dn. Henricum Iuli-  
um, Episcopum Halberstadensem, Ducem  
Brunsuicensem & Luneburgensem &c. Acad.  
Iuliæ Rectorem & Cancellarium ma-  
gnificentissimum

*Archigymnasium suum Helmastadij  
inuisentem.*

**O** Men habet casus. Benedicti: luce sacra  
Pacifer & verè Dux benedictus adest.  
Qualis ab aëry scopulosa rupe Sionis  
In niueo Salomon splendidus ibat equo,  
Sanctâ Panomphæi subiturus fana IEHOVAE,  
Iuncta sacerdotum quævis Synagoga fuit.



*In qua Mosaica sinuosa volumina legis  
 Pontificum sonuit relligiosa cohors.  
 Regis erat munus Templis impendere curam,  
 Et templis iunctas are fouere Scholas.  
 Nempe ministerio ne praeficienda deessent  
 Agmina, sacrorum neu quateretur honos.  
 Expectatus ades, te vota precesque requirunt,  
 Publica res opera consiliantis eget.  
 Te decor, o princeps, Solomoni regius aequat:  
 Par viriusq; etas, par viriusq; labor.  
 Exere virtutes animi mentemq; paternam,  
 Auspicij noster militat ordo tuis.  
 Grata coruscantis facies nitidissima Phœbi,  
 Frigoracum brumæ discutit, arua fouet.  
 Gratus at nobis Rectoris cernere vultum:  
 Presidio cuius quod sumus, omne sumus.  
 Pace quod in medio fruimur discrimine, clades  
 Proxima quod nostra cessat ab aede, tuum est.  
 Si qua pios viciat serpens contagio cœtus,  
 Errorum medica semina tolle manu.  
 Purus & immunis scelerum sit labe necesse est,  
 Quisquis ab innupta Pallade nomē habet.  
 Inprimis meritos tua munificencia quosque  
 Subleuet, egregium premia calcar habent.*

*Deme*



*Deme oleum lychno, lucemq; negabit eanti:*

*Deme ministranti præmia, segnis erit.*

*Vult labor accendi precio, ditataq; virtus*

*Crescit, & obnitens non nisi magna parat.*

*Numen habes princeps, iam morem imitare*

*Nosq; tuæ radijs fac bonitatis ali. (Deorū,*

*Inclita sic nobis Solymorum pulpita cedent,*

*Vincet & Actæas IVLIA nostra domos.*

## ELEGIA

IN OBITVM MAGNI-  
FICI ET NOBILISSIMI VIRI Dn.  
Ioachimi Mynsingeri a Frundeck, Iuris consul-  
ti celeberrimi, Ducatus Brunsvicensis  
Camerarij hæreditarij, & Comitiss  
Palatini &c.

*S*ic, ubi nube caua strepuere tonitrua, pa-  
stor

*In sua palantes septa reducit oves.*

*Ingeminant elementa minas, cælumque so-  
lumq;*

*Venturi facies terret iniqua mali.*

Te



Te Deus his miserans exemplū cladibus auferat  
 MYNSIGER & regni dat tibi iura sui.  
 Hæc bonitas nobis non intellecta dolorem  
 Gignit, & in læta sorte pauere facit.  
 O læues animis! cur diffidentia mentes  
 Occupat? à superis quod venit omne bonū est.  
 Clauserit hoc licet orbe diem, rediuiuus inibi  
 Gaudia siderea prodigiosa domus.  
 Illic despiciet, quas hætenus extulit, aulas:  
 Nil præter curas, inquiet, orbis habet.  
 Pondera sustinui grauiora cacumine Tauri:  
 Omnia lassauit membra laboris onus.  
 Nūc requie fruatur, & quid sit bene viuere discā,  
 Nil quod vita queat diciæ orbis habet.  
 Emorimur nati & finis dependet ab ortu:  
 Nulla dies letho, nulla dolore vacat.  
 Terra vale, sentina mali, domus hospita luctus:  
 Aetherius ciuem me Paradisus habet.  
 Talia Mynsigerus cæli nouus incola dicet.  
 Interea in lacrymas nos tamen ire iuuat?  
 Sancta recordemur meritum pondera, sospes  
 Nostra quibus iuuat commoda, pressit onus.  
 Incolumis columen regni fuit utile, præstans  
 Consilijs, operâ, religionem, fide.

Euro-



*Europa famam collegit in orbibus, arte  
 Caesaribus gratus principibusq; fuit.  
 Hac immortalem terris fecere, beatum  
 In caelo faciet mors tua Nate Dei.  
 Vive solo caeloq; vir o dignissime vita,  
 Splendor ubiq; tibi perpetuus erit.*

## EIDYLLION

DE LAVRO AREFAC-  
 TA, ET VVA IN EIVS LOCVM  
 feliciter substituta,

*Scriptum*

IN OBITVM IOANNIS  
 Lorberij abbatis Riddageshusani  
 pie memoriae.

AD REVERENDVM ET  
 AMPLISSIMVM VIRVM Dn.  
 Petrum VVindruuium, designatum Cœ-  
 nobij Ridageshusensis Ab-  
 batem.

**N**obilis augusta florebat LAVRVS in aede,  
 Quae vetus à RIDACHO praside no-  
 men habet: Lau-



*Laurus Atestino multum dilecta Leoni,*  
*Cuius honorifico tuta favore fuit.*  
*Illam caput tollens vitreas ad fluminis undas,*  
*Delitium campi luxuriantis erat.*  
*Hospitia exsulibus praebebat idonea Musis,*  
*Multaq; per ramos nidificabat avis.*  
*Indicium Pacis non iurgia cruda serebat:*  
*Vna sed innocuae cura quietis erat.*  
*Hinc neque commoti metuebat fulmina caeli,*  
*Nec Boream amisit flabra mouente comas:*  
*Sed deuota Deo, sacras crepitante per aras*  
*Thure, coronauit frondis honore lares.*  
*O decus! o vitam dignissima perpete laurus!*  
*O quantum meriti pondus, & aura tui!*  
*Inuidit fortuna tamen, laurumq; venustam,*  
*Cana repentino frigore laesit hyems.*  
*Decussit graciles vis gradinis improba Baccas,*  
*Vsque odoratas seu prauina comas.*  
*Sic caput affectum posuit radice reuulsam*  
*Et subijt gelidam fertilis arbor humum.*  
*Iamq; gemit Phoebus, lacrymatur Naiades udae,*  
*Tristis in acciso termitae mæret avis.*  
*Sed Deus aspexit viduatam molliter adem,*  
*Factaq; clementi damna favore leuat.*

Inq;



Inq̄ locum raptæ succedit idonea Lauri  
 Vna, decus campi nobile, vitis honos.  
 Vtilis Vna Deo, nam succos gignit amænos,  
 Quos pia sub templi fornice turbalitat.  
 Vtilis imprimis mortalibus Vna, dolore  
 Quos leuat, & medicam tristib. addit opē.  
 Quàm bene prospiciunt nostris clementia rebus  
 Fata, securis obueniuntq̄ malis!  
 Gratia Christe tibi: tu vitis vera racemos  
 Protege, tu vespas pelle, repelle capros.  
 Sacra sit excubijs fac Vineâ cinctâ, malignis  
 Immunes iussam continuemus opus.  
 Vt post defunctos dura in statione labores,  
 Contingat merito pax reparata tuo.

AD



## MELOS

AT ILLVSTRES ET GE-  
NEROSOS COMITES AC DO-  
minos, Dn. Ernestum, & Dn. Marti-  
num Comites Regensteinenses  
& Blanckenburgi-  
os &c:

*Helmaſtadium, Acad. Iulia ho-  
ſpitiū, ſtudiorum gratia ingre-  
dientes.*

**Q***uis noſtra priſcis tempora ſeculis  
Præferre noliſ? plus vice ſimplici  
Actus auorum Marialeis  
Egregijs ſuperamus auſis.  
Illi trahebant bella, ferociter  
Deſcipientes: nec iugâ montium,  
Crudi ſequutos caſtra Maris,  
Nec pelagi vada territabant.  
Teſtis Britannus diues, & accola  
Tumultuoſi martius Adria:  
Teſtis Palæſtinae feracis  
Hoſpes, & occiduos ad æſtus*

*Ruhe-*



*Ruthenus Arcto sub Boreotide:*

*Quae lata mundi climata terruit*

*Germana pubes: Nos Minerva,*

*Nos Themidi iuuat innocenter*

*Servire casta: barbaries fugâ*

*Abscessit ultra litus Atlanticum:*

*Cultuq; verboq; elegantes,*

*Hesperiae decus amulamur.*

*Musas Dynastæ suspiciunt piæ,*

*Sumptuq; largo comiter adiuant:*

*Nec Principum nati Ducumq;*

*Pieridum cathedras abhorrent.*

*Nunc Hippocrenes vitrea limpida*

*Fluenta potant: nunc Aganippidos*

*Vnde liquores, & palato*

*Ambrosiam sitiente querunt.*

*Sic vos Ephœbi sanguine principum*

*Orti vetusto, quos Comites habet*

*Cheræscæ tellus, queis coloni*

*Hercyniæ dominantur ora:*

*Vos ardor idem suscitât, & piæ*

*Laudis cupido, pulpita IVLIAE*

*Schole sequutos: hinc Camœnis,*

*Hinc studijs iuuat immorari.*

G

Oter

he.





*O ter beatos, quos ita lauriger  
 Apollo finxit! pergite patrias  
 AEquare dotes, ac auitis  
 Progenitoribus antidire.*

## PRECATIO

*Ad filium Dei, recitata à puero Tile-  
 mano Heshusio:*

CVM IN ILLVSTRI A-  
 CADEMIA IVLIA, CLARISSIMI  
 & ornatissimi viri, Basilius Satler Pastor Hel-  
 mæstadiensis, Doctor Theologiæ, Melchior  
 Cruschius Physicus Hildesienfis, Doctor Medi-  
 cinæ, & Henricus Boethius Licentiatus  
 Theologiæ, renunciarentur. 21.

April. Anno

1586.

*C*Hriste, sacerdotis qui nomen amabile  
 gestas,  
 Et cadis æterno victima grata patri:  
 Qui medicas adhibere manus ad vulnera  
 gaudes,  
 Vlcus & immunda consolidare luis:

*Respi.*



Respice nos hac luce potens, & nominis huius  
 Exere presenti munia fausta die.  
 Qua benè promeritis statuuntur premia, summa  
 Qua titulos virtus ingeniosa suos.  
 Et duo Theologi medico comitante, parati  
 Solenni, cathedra debita iura petunt.  
 Tu patris interpres aeternæ iussa salutis  
 Ausus es humano voce aperire gregi.  
 Eloquium largire illis, qui sacra professi  
 Mille ferunt plebi commoda, mille Schola.  
 Da medico medicas ut gnauiter excolat artes,  
 Multus & optatam sentiat ager opem.  
 Mutua cum medicis exercent fœdera mystæ.  
 Aegrotos opifex curat uterq; suos.  
 Ambobus medicina sua est, succosq; prementes  
 Fœta per horiorum prata viasq; volant.  
 Hic legit illustres Paradysi nobilis herbas,  
 Miscet & ætheris gramina nata polo.  
 Ille creaturas lustrat, viresq; prehendit,  
 Colligit & nostro germina nata solo.  
 Te duce, felices operum, sua munia tangant:  
 Hi curent animam, corpus at ille leuet.



SYLVARVM  
 PRECATIO AD DEVM  
 Opt. Max.

*Recitata à puero Martino Lantz*

CVM IN ILLVSTRI A-  
 CADEMIA IVLIA CLARIS-  
 simis & Consultissimis Viris D. Heinrico Rud-  
 loff & D. M. Laurentio Cratoni summus  
 in vtroque Iure gradus decernere-  
 tur. Anno 1586.

12. Julij.

**I**uste Deus, scelerum vindex, fons vnice iuris,  
 Iusticiaq; vigil custos, tu legibus orbem  
 Immensum constare iubes, tu enormia punis  
 Crimina, & armatum vis maiestate tribunal.  
 Da pater, vt mundi languentis anhelasenectus  
 Arbitrium monitusq; tuos obseruet, iniquis  
 Obster, & equali moderamine transigat æuvm.  
 Barbaries passim graditur, cæcoq; furore  
 Proruit in vetitum, legumq; repagula frangit.  
 Sit procul à sacris vesania cœtibus ista  
 Sancte Deus, iussusq; tuos & iura secuti  
 Ducamus placida tranquilla silentia vitæ.  
 Suffice Doctores, qui iusto examine legum

*Facta*



*Facta hominum vocesq; probent, qui iniuria  
iura*

*Legibus emendent, per quos subsellia discant  
Litibus insanis pacem præferre quietam.  
Hos etiam media positos testudine templi  
Insignes virtute viros, vi flaminis unge,  
Ingenijq; novas vires, nova robora confer  
Iudicij, memoresq; animos, ut verba minasq;  
Iudicis æterni perpendant, utque salubri  
Consilio præsent aulis, urbesq; gubernent.  
Nos quoque conformes fac viuere legibus, ordo  
Ne sacer infractus titubet, fatalia donec  
Iudicia adueniens exerceat arbiter orbis.*

EPITAPHIUM

BONAE SPEI ET MAG-  
NAE INDOLIS PVERI, IO-  
HANNIS THOMAE IAGEMANNI,  
Iohannis Iagemanni Iurisconsulti, & in Acad.  
Iulia Antecessoris dignissimi, filij, 3. Octob.  
anno Christi 1585. pie  
defuncti.

**Q***ui poterat fessum lusu recreare parentem,  
Et lepidâ molles voce ciere iocos:*

G 3

Dura



Dura laborifera minuens qui tadia matri,  
 Lenimen miseri suave doloris erat:  
 Occidit heu prima vernans in limine vita,  
 Ingenij præstans nobilitate puer.  
 Occidit & letho spes interceptit opimas,  
 Quas senior tacitâ mente fouebat auus.  
 Heu celeres annos fugitiuaq; tempora vite:  
 Momento citius mors inopina venit.  
 Ut rosa florescens, ut aprici flosculus horti,  
 Ut leuis exiguo tempore bulla perit:  
 Sic nati morimur, sperataq; gaudia nobis  
 Eripit humanis mors inimica bonis.  
 Sed bene: qui lethum domuit, qui funera  
 nostra  
 Vulneribus voluit sanctificare suis:  
 Ille suis pueros vlnis amplexus, amicâ  
 Innocuos ad se voce venire iubet.  
 Huius erat puer ablutus baptismatis vnda,  
 Huius in extremo mortis agone fuit.  
 Ergo redemptoris placidis requiescit in vlnis,  
 Gaudet & ætheria civis in arce nouus.  
 Tanta quis inuideat tibi gaudia? viue malorum  
 Expers: æternum viue beate puer.

In



In crucem & diadema, insignia  
Reineri Reineccij.

**I**udicio pollens calamoq; Reineccius acer,  
Nobilis aeternae conditor historia,  
Cur gerit in clypeo diadema crucemq; rubentem,  
Eequis in hoc signo sensus utroq; later?  
Sic ego: sic numeris totum cantata per orbem  
IVLIA, quarenti dicere visa fuit:  
Ut reor, & nisi me mea fallit opinio, signa  
A Constantino Casare sumpta gerit.  
Primus is imposuit capiti diadema, suosq;  
Armis appictas iussit habere cruces.  
Nempe quod ostento monitus, formidine presso  
In sola didicit spem superesse cruce.  
Sub cruce suave Deo servit diadema, sub illa  
Quisq; sua felix in statione manet.  
Adde quod Heroas & regum facta recensens,  
Signa pij regis convenienter habet.  
Dumq; sub hoc cumulo curarū & mole laborat  
Perpetuam sentit mens operosa crucem:  
Eluctata tamen palmae viridantis ad instar,  
Promissum sensus ad diadema leuat.



*Sub cruce qui tolerat, quæ fata Deusq; mini-  
strant,*

*Laude coronato vertice dignus erit.*

*In Hermanni Neuuualdi de Origine  
caloris natiui in mixtis tra-  
ctatum.*

**O***Mnia quæ laxa mundi cōpage tenentur,  
Semina natiui dia caloris habent:  
Semina continuos tacitè per agentia motus  
Subiecti varia pro ratione sui.  
Vnde sed illabens res derivatur in ipsas?  
Vnde trahit vires principiumq; calor?  
(Non dubium est, sed fit dubium: quia tempore  
Qui velit inuentis cedere, rarus erit. (nostra  
Detraxisse fidem tritis, noua condere texta:  
Non leue præclare ducitur artis opus.)  
Nil cæleste sapit neq; Sole cietur ab ipso:  
Parte sed hac nascens inferiore latet.  
Scilicet implexu coëunt elementa tenaci,  
Corpus & aërium consociata creant.  
Cui calor & lentus mediocriter insidet humor,  
Quod leuis occulta Spiritus ambit ope.*

*Rebus*



*Rebus id implicitum genitalia semina rerum  
 Aduuat, & nullo tempore cessat agens.  
 Nutrit, alit, vegetat, morbos fugat, inde seipsum  
 Decursu atatis precipitante necat.  
 Hac veterum concors sententia nititur usu,  
 Et licet in dubium sepe vocata manet.  
 Quam quia facundo defendis & asseris ore,  
 Inter honoratos conspiciere viros.*

Apophtegma Philippi Macedonis ad Alexan-  
 drum Magnum F.

Expositum à Dione Chrysofotomo Oratio-  
 ne secunda de regno, epigrammate  
 nunc expressum,

**AD HENRICVM RAN-**  
**ZONIUM, Virum incomparabilem.**

**Q**uam bene, RanZoni titulis celeberrime  
 dignis,

Officio vates historicosq; foves:  
 Sic tibi suggestit rerum experientia prudens,  
 Semina natura sic docuere tua.

Curat utrosq; Deus genioq; benigniter auctos  
 Cælitæ, vim superum participare facit.

G s

Illud



Illud Amyntiades rex nouerat inclytus, illud  
 Gaudet Alexandro notificare suo.  
 Atq; ait, ô Macedum spes unica, nominis hæres  
 Effigies vultus ingenijq; mei.  
 Historicos varesq; sacros offendere noli:  
 Tuta patrocinijs turba sit illa tuis.  
 Præpes virisq; manus, calamoq; sequace papyri  
 Secula que voluani posteriora, linunt.  
 Fas illis quæcunq; placent inscribere cartis  
 Arbitrio laudant vituperantq; suo.  
 Talibus ille suum monuit, tu temporis huius  
 Sydus idem claros nobilitate doces.  
 Historicosq; foves, argutaq; pectora vatum:  
 Testis Iber, Gallus, Sarmata, Teuto, Ligur.

Melos ad Ioachimum ab Aluensleben  
 conditorem Bibliothecæ Erx-  
 lebianæ.

O Vales susurros diues! inaudijs  
 Hospes canopi! cum Mareotidis  
 Lagæus Heros ad fluentum  
 Mille libros, monumenta mille  
 Sumptus profundo congereret seni  
 Morem benigne Philosopho gerens.

Thea.



*Theatra quantos sustulerunt  
 Attica, Cecropijq; plausus!  
 Cum Pergameni nisibus amulis  
 Arsere reges, lectaq; pluribus  
 Latum per orbem gaſa regnis  
 Magnificos subijt penares.  
 Vates sonoris carminatibjjs  
 Finxere leti: personuit modis  
 Obscura plebes, & canores  
 Edidicere agiles Napæ.  
 Iam post tot annos viuit, & undiq;  
 Rumore grato fama perambulat:  
 Nec consenescet, donec orbis  
 Impavidam ferient ruina.  
 Haud te minori IVLIA barbito  
 Dicer iuuentus & citharæ sciens  
 ELMANA virgo predicabit  
 Facta tua, IOACHIME, gentis  
 ALVONIS heres Saxonici potens.  
 Nec fama seris postgenitis minor  
 Notescet. euge sic equestri  
 Progenie decuit creatum:  
 Inestimandis undiq; sumptibus  
 Libros cœmptos Pieridum choro*

Dona-



Donare, thesauroq; ciues  
 Egregio memores beare.  
 Qui rore puro Castalia lauit  
 Crines solutos, pollice Lesbium  
 Poëma finger delicato  
 Delius & Pataraeus Apollo.  
 Me si qua nostris gratia tibijs,  
 Iuuabit inter indigenas cygnos  
 Sancire carmen tam benigno  
 Agminis Aonij patrono.

Anagrammatismus in Reinerum  
 Reineccium.

REINERVS REINECCIVS.

CRESCE NERVIS VNI REI.

O Vale nec Argolici potuerunt condere ciues  
 Nec suboles urbis Romule prisca tua:  
 Tale laborat opus terra Germanide cretus,  
 Iudicio ambiguum maior an ingenio.  
 Regna sub aspectum ponens regumq; labores  
 Vsq; per innumeros exspaciatus auos.  
 Iamq; renascuntur veteris monumēta Philisti,  
 Quaeq; olim in lucem Pollio scripta dedit.  
 Apparent memores Romana per atria cera,  
 Et numeri pubis Teuto vetuste tuae.

Dij



*Dij faciant, operis tanti venerabilis auctor,  
 Ut tibi sit robur corpore, mente vigor.  
 Vna tibi res hac est credita, firmior VNI  
 NERVIS ac vegeto robore CRESCERE REI.  
 Dumq; sacri viuent Heroës, notus Eois  
 Principibus viues notus & occiduis.*

*In organa Mariæuallensia à Casparo  
 Schosgio Abbate recens  
 extracta.*

*Q*ui sua seq; Deo Casparus deuouet Abbas  
 Organa construxit sumptibus ista nouis:  
*Ut pia se nostra dum iungit Musica voci,  
 Mulceat æternum laus geminata patrem.  
 Cedite qui templis eueritis organa: rectè  
 Humana colitur voce manug; Deus.*

*Epitaphium Annæ Vadinae coniugis  
 Reineri Reineccij.*

*F*ortuna iactata vadis, nunc libera tandem  
 Vadit ad æternas Anna Vadina domos.  
*Vltima constitues quando vadimonia mundo,  
 Christe sit in tuto res maneatq; vado.*



In effigiem Henrici Iulij Episcopi Halberstadensis, Ducis B. & L.

Cento ex Virgilio.

**S**ic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat  
 Princeps ante omnes famâ super aethera  
 notus,  
 Nomine auum referens animo manibusq; pa-  
 rentem:  
 Cui genus à proavis ingens de gente uctusta.  
 Unus qui nobis laudis succensus amore  
 Proferet imperium per tot discrimina rerum,  
 Pacatumq; reget patrijs uirtutibus orbem.  
 Ille operum custos nobis hec otia fecit:  
 Ille regit dictis animos, & pectora mulcet:  
 Ipsis precipuis ductoribus addit honores,  
 Inuentas & qui vitam excoluere per artes  
 Muneribus cumulat magnis, & premia ponit.  
 Fortunata puer quæ te tam læta tulerunt  
 Secula, qui tanti talem genuere parentes.  
 O decus, o famæ meritò pars maxima nostra.  
 Quæ quibus anteferam? tu seruantissimus equi  
 Egregiusq; animi: tua terris didita fama.  
 Quæ sint, quæ fuerint, quæ post ventura tra-  
 hantur.

Magna-



*Magnanimosq; Duces pugnatq; in ordine bella  
 Fatq; fortunaſq; virum moreſq; manuſq;  
 Enumerare vales. tanta eſt victoria cura,  
 Tantus amor laudum, cuncti ſe ſcire fatentur.  
 O mihi tam longè maneat pars ultima vitæ  
 Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta,  
 Noctes atq; dies, ſi quid mea carmina poſſunt,  
 Semper honore meo, ſemper celebrabere  
 donis.*

**De formula concordia die Pe-  
 tri & Pauli Apoſtolorum publi-  
 cata anno Chriſti  
 1580.**

**D***um lux ſacra Petro celebratur & annua  
 Paulo,*

*In lucem pacis nobile prodit opus.  
 Omen ineſt facto, libro traduntur in illo,  
 Quæ docuit ſcriptis ille, vel ille ſuis.*

**Symbolum Iulij Ducis Brunſ:  
 & Lunæburg.**

ALI-



SYLVARVM  
ALIIS INSERVIENDO  
CONSUMOR.

**M**itte mihi ingenium natura creauit, &  
iras

Mens pia vulnifico cautius angue fugit.  
Blandus in expleto ciues complexus amore,  
Quicquid ago, facilis more parentis ago.  
Dumq; bonis alios impensius adiuro nostris,  
Consumo partas indubitanter opes.

Epitaphium Erici Iunioris ducis Brun-  
suicensis & Luneburg.

**N**atus Atestinae de sanguine gentis Ericus  
Hac moriens posuit nobile corpus humo.  
Iustitia ciues moderans & pace propinquos,  
Gratus erat populo Dux, populusq; Duci.  
Quae proavis eius ortus dedit, Itala tellus  
Hospitium viuo praebuit & tumultum.

HEN-



HENRICI MEI  
BOMI SYLVARVM  
LIBER SECVNDVS.

EPITAPHIVM

REVERENDI ET AM-  
PLISSIMI VIRI D. IACOBI  
Pasmanni, Cœnobij imperialis diui  
Ludgeri Præpositi, piè  
defuncti.

**I**N quo sedulitas pietasq; innoxia fulsit,  
Cuius in egregio pectore candor erat,  
Mortuus exigua Pasmannus conditur urna:  
Gaudia cum Christo spiritus alma capit.  
Ab quantum amisit tristis respublica pignus,  
AEdibus illata est quanta ruina sacris.  
Ille Deo plenus fucq; remotus ab omni,  
Sincerae cultor religionis erat.  
Oderat ambiguos in aperto dogmate sensus,  
Et vacuam meritis officijsq; fidem.

H

Cæli-



*Cœlibis amplexus vitæ genus, omnia cautiè  
 Scandala vitabat castus, & omne nefas.  
 De pietate frequens sermo, de crimine nullus:  
 Iura querebatur sepe favore regi.  
 Adde, quod œconomus solers sua munia rectè  
 Egit, & impositum continuauit opus.  
 Sed mala perpendens fatalia, vinq; cruentam,  
 Exitium nobis quæ minitantur atrox,  
 Annorum satur, & fidei præclarus, abire  
 Maluit, & superas hospes adire domos.  
 Vota Deum tetigere, iacet, corpusq; sepulcro  
 Conditur, in cœli spiritus arce latet.  
 Euge serue bone, in minimis tua cura proba-  
 ta est,  
 Ingredere in Domini gaudia vera tui.*

## EIDYLLION

AD ILLVSTRISSIMOS  
 ET POTENTISSIMOS PRIN-  
 cipes ac Dominos

Dom-



Dn. IOHANNEM CA-  
simirū, Comitem Palatinum  
Rheni, Ducem Bauariæ &c.

Electoꝛatus Administra-  
toꝛē & Tutorem,

ET

DN. IVLIVM DVCEM  
BRVNSVICENSEM ET  
Lunæburgensem &c.

PATRES PATRIAE:

HELMÆSTADIVM ACA-  
demix̄ Iulix̄ hospitium in-  
gredientes.

**E***N gemini coeunt nostra de gente Leones:  
Alter Marte potens, alter honore toge.  
Ille genus reperit Boiorum è stirpe vetusta,  
Fama Palatina delicioſa domus:  
Hic veteres Guelfos atq; Itala nomina iactat,  
Nunc bene Saxonis ingenerata locis.*

H 2

Cultor



Cultor uterq; Dei: libertatisq; patronus,  
 Publica sollicitâ commoda querit ope.  
 Ille sciens belli turmas moderatur equestres,  
 Proq; suis ardens induit arma focis:  
 Gallica iam victor pernicious ocyor Euris  
 Proxima iam Rheni fluminis arua premit.  
 Vndiq; fulmineis comes est Victoria castris,  
 Et patrios ornant parva trophæa lares.  
 Pacifer hic enses condit, pacataq; præbens  
 Ocia, pro patriæ damna salute facit.  
 Iam legum tabulas labefactaq; iura reformat,  
 Iam templis operam reddit, opemq; Scholis.  
 Vndiq; gemmatis comitatur gloria pennis,  
 Et patrios ornat pinguis oliua lares.  
 Viuite Semidei: vobis Germania debet,  
 Marte quod est alibi prospera, pace domi.  
 Viuite, nec deerunt iustis sua præmia factis,  
 Viuida fama solo, gloria vera polo.

HO-



## HONORI NVPTIARVM

IOHANNIS SIGIS-  
MVNDI à BERNSTEIN IN  
BERENCLAVSS, NOBILITATE  
equestri, virtute, doctrina, linguarumq; co-  
gnitione ornatiss. Sponsi: & lectissimæ virginis  
Catharinæ. Dn. Iohannis à Northausen in Col-  
lembey, viri & Iurecôsulti nobilissimi F. Spon-  
sæ: Quæ celebrabantur M. VIIibr. D.

VI. CIO. IO. XXCIV.

## EPITHALAMION.

*S*olennitati quid melius nouæ  
Concinniusuè huic conueniet precor?  
Integritatis quàm venustum  
Et fidei specimen iugalis  
Referre versu: Gracia futilis  
Mendace iactet multa loquentia,  
Nos vera veris explicata,  
Proferimus monumenta libris.  
Hos nôrit Afer, nôrit Iberia  
Hospes calentis: quiq; Ararim bibit:  
Ac orbe diuisi Britanni,  
Pannoniaq; flagella Turce.

H 3

Roma-



Romana quondam sceptrā Alemanicus  
 Princeps habebat, sanguine Suenico  
 Prognatus: illum Longobarda  
 Stirpe satus veteri laceffens.  
 Guelfus, frequenti strage coëgerat  
 Tentare vires robur & imperi:  
 Ibant comata Francicorum  
 Nobilium subito cateruæ.  
 Fortes Batāui, Vangiones truces,  
 Et cum Sicambro Tyrigeta feri,  
 Saxo inquietus, Boiohema  
 Nec minus incola durus ora.  
 Vidit furentes Caesaris imperus  
 Ducesq; belli cedere nescios  
 Guelfus, nec incerto experiri  
 Rem voluit valuitq; Marte.  
 Inclusus arcis mœnibus edita,  
 Frustra allaborat flectere Casarem.  
 Donec fame terra coactus  
 Imperio sua subiugauit  
 Regis superbo: lege Tuiscona  
 Qui gentis omnes dedere masculos.  
 Neci iubebat, liberatis  
 Matribus & teneris puellis.

Ansi.



*Antiquitatis more probabili  
 Vis dura parci femineis bonis:  
 Et quicquid assortare possunt,  
 Eripiunt celeri ruina.*

*Denunciata morte viris, paucor  
 Concussit aulam, luctus & infrequens:  
 Fratrem soror lugebat, vxor  
 Fata viri properanda flebat.*

*Coniunx vocatis Guelfica matribus  
 Secura curæ constitit in foro,  
 Infructuosus & querelis  
 Figite queso modum sodales,  
 Inquit, moleste nil querimonia  
 Profunt, molestis parcite fletibus,  
 Urgente sortis prauitate,  
 Fæmineos aperite sensus.*

*Sagax acutis ingenium viris,  
 Et perspicaces pectoris imperus,  
 Sed fæminarum cogitato  
 Mille modis superantur astu.  
 Auferre quicquid corpore possumus,  
 Largitur æqui gratia Cæsaris,  
 Incogitata nos repente  
 Sarcinula scapulas grauemus.*



*Gestet maritum quaeq; humeris suum,*

*O suave pondus grataq; sarcina!*

*Iniuriosis sic soluti*

*Compedibus fugient periculum.*

*Ni concitata Tygride senior*

*Aeris rigentes pectore laminas*

*Cæsar recondit, callidarum*

*Consilium graue prædicabit*

*Miles repostas diripiens opes*

*Gemnis fruatur degener indicis,*

*Aurig; gazis: illa parui*

*Sospitibus facimus maritis.*

*Nec plura: prudens consilium anxij*

*Curas ademit: qualibet ocyus*

*Cervice sustollens maritum*

*Per medias graditur cohortes.*

*Excita castris euolat undiq;*

*Pubes, & agmen nobile conspicit:*

*At rex inaudita stupefcens*

*Concilium nouitate cogit,*

*Guelfumq; vinclis liberat aneis,*

*Perduellionis prætereareos:*

*Sed matribus gazas & aurum*

*Restituit miserans ademptum.*

*Auris*



*Auris sonores ut caua Musicos  
 Libenter haurit: lumina splendido ut  
 Colore pascuntur, stupentes  
 Sic homines mouet alta Virtus.*

*Hoc norit Indus: norit Achaia  
 Telluris hospes: quiq; Boristhenis  
 Potat fluentum, proximusque  
 Thracibus indomitis Polonus.*

*Hæc Sponse clara nobilis à domo,  
 Tibi tuæq; condere Iulius  
 Apollo suavit, mouit alta  
 Nobilitas viriusq; stirpis.  
 Germana virtus hæc fuit hæctenus,  
 Non impotenti frena libidini  
 Laxare, sed vitam regendo  
 Innocuos simulare mores.*

*Ut casta mens est arbiter omnium  
 Factorq; rerum: sic iubet acriter  
 Nos innocenti destinari  
 Illicita sine labe vitæ.  
 Cælestis aure vis peramabilis  
 In innocenti pectore consider:  
 Quam torquet æstus, quæ calore  
 Immodico furiosa flagrat,*

H s

Men-

ris





*Mentem relinquens despiciat. Ergo ne  
Sic conditori dissimilis suo*

*Natura: ne dispar sit ipsi*

*Archetypo, vigili labores  
Nisu, cor estum si patitur grauem,  
Et vis medullas sauciat ignea,*

*Querat leuamen preparatum  
Et nimios reprimat calores*

*Consortis usu legitimo sua,*

*O quanta vitæ est gratia, quantaq;  
Huius voluptas, dum sub una*

*Carne caro geminata viuunt,  
Dum complicato spiritus halitu  
Labris inerrat suaue calentibus,  
Et mentis affectu latebras  
Interius simili figurat:*

*Ne cogitatis dissideant suis,*

*Nec discrepantes inueniant vias,*

*AEquo ferantur sed tenaces*

*Calle, gradu spacientur equo,  
Quos arcta lecto copula glutinat,  
Amoris apta compede vinciens.*

*Voluptuosum nil magis, nil*

*Eregium magis, nil verustum.*



*Si quid ministrat fors inamabile*

*(Vt mista dulci mutat acerbitas*

*Vita tenorem) partiuntur*

*Duriciem terricasq; curas.*

*Fortuna ceptus si bona sospitat,*

*Vsura parti commoda gaudij*

*Non priua, sed communis aquis*

*Legibus obueniens utriq;*

*O ter beatos quos ita viuere*

*Sancto coegit foedere castitas.*

*Hac Musa vobis vota reddens,*

*Vt decet, & licuit, precatur.*

**Anagrammatismus in Hartuicum Smi-**

**destetum Rhetorem eminentissimum, Iulij**

**Lycei Professore.**

**HARTVICVS SMIDESTETVS**

**DISERTVS HIC EST VT MVSA.**

**S**unt homines tumidi quos lingua volubilis  
oris

*Mirandos vulgo conspicuosq; facit.*

*Illi vbi conscendunt caua pulpra Stentora voce,*

*Et gestu mimos exsuperare queunt.*

*Mobi-*



Mobilis incultas plebs undiq<sup>3</sup> subrigit aures  
 Attoniti monstro stantiq<sup>3</sup> pauentiq<sup>3</sup> viri.  
 Nos quibus egregia pectus mollitur ab arte,  
 In quibus ingenij iudicijq<sup>3</sup> vigor.  
 Scimus inornatas lepidis secernere linguas,  
 Scimus ab inculto culta notare stylo.  
 Miratiq<sup>3</sup> alios cum sis mirabilis ipse  
 Inclita Saxonici fax Smidestete soli.  
 Inter honoratos Borealis Rhetoras oræ  
 Voce tibi palmam conueniente damus.  
 Namq<sup>3</sup> tonans promptæ feris omnia verbere  
 linguæ  
 Fulmineoq<sup>3</sup> graues spargis ab ore sonos.  
 Rursus ubi accensa compescis murmura plebis  
 Dulcior est oris gratia melle tui.  
 Quæ mouet, accendit, rapit, instruit, excitat,  
 urget,  
 Infedit linguæ Suada medulla tuæ.  
 Talis erat Xenophon, qui nectare suauior omni,  
 Dictus ab Inachijs Attica Musa fuit.  
 Esse tuo has dotes in pectore, nominis apicè  
 Indicio nobis est anagramma tui.  
 Mollius arguta nihil est dulcedine Muse,  
 Illa tuo tacitè nomine clausa latet.

Quodq<sup>3</sup>



*Quodq; sonat nomen ne deserat omen, abundè  
 Musarum eloquijs æmulus, arte fatis  
 Perge ornare Scholã Christo duce, iugiter artis  
 Gloria durabit prodigiosa tua.  
 Audiet & si quis te orantem Rhetora, dicer:  
 Suavis & VT pollens MUSA DISER-  
 TVS HIC EST.*

## PARODIA CATVLLIANA

In Poetastrum.

*S*alue nec facili poëta vena,  
*N*ec molli sale, nec bonis reperis,  
*N*ec cultis numeris, nec arte scita,  
*N*ec sanè nimis elegante lingua,  
*M*euio similis Maroniano,  
*T*en, prouincia censei esse varem?  
*T*uis carmina nostra comparantur?  
*O* seclum insipiens & imperitum!

In organa Musica.

*O*rgana que varijs feriunt concentibus  
 auras  
*A*rtificum dextrâ mota volante sonant.  
 Sic,



*Sic, ubi nostra sacer tetigit prae cordia flatus,  
Vox sonet aeternum glorificetq; Deum.*

De nostro saeculo.

**D***Ebita praeripiunt apibus nutritimina fuci,  
Quodq; mereitur equus gramen, a sel-  
lus edit.*

*Quid mirum si cuncta lues noua polluit? ista  
Quae bona sunt, pecudes commaculare solent.*

In Pamphagum.

**C***um niger in fada crinis tibi nare frutescat  
Emuncta non es, Pamphage, naris homo.*

PARODIA CATVLLIANA  
Ad Philelphum.

**Q***uid est Philelphe, quod moramur emori?  
Rubra in cathedra collocatur Maenius:  
Gerit traram fastuosus Euclio.  
Quid est Philelphe, quod moramur emori?*

In Musicam & Poeticen.

**D***AEdala laurigeræ si Musica iuncta Poësi  
Dulce quod artificii lege laborat opus:  
Ecquis*



*Ecquis in arcanis non intima gaudia fibris*

*Sentit, & affectu feruidiore calet.*

*Scilicet hac veteris quaedam est scintillula  
flamme*

*Enthea, & amisse lucis imago minor.*

*Tunc, ubi nostra noua fulgebunt corpora dote,*

*Et vacuum lauo crimine pectus erit:*

*In nobis fiet vis hac illustrior, expers*

*Musica labis erit, pura Poësis erit,*

*Vtraque grata Deo. numeris modulamina finger*

*Suavis in ore sonor, dulcis in aure canor.*

*Interea quicumque aliquid sibi vendicat harum*

*Artium, ad usuram transferat omne bonã.*

EPITAPHIUM

HEIDVVIGIS FILIO-

LAE D. IOHANNIS BORC-

holten in Academia Iulia Ante-  
cessoris &c.

**H**ic iacet ante diem lactantis ab ubere rapta,

**H** Borcholtum veteri nata puella domo.

Et docet interitu, quam mundi gloria fallax,

Obuia quam multis vna sit ipsa malis.

*In*



*In mundo sperare nefas : conamina nostræ  
 Rara voluntati conuenienter agunt.  
 Debita quæ nobis est patria vindice Christo,  
 Certa magis spondet, præstat amica magis.  
 Veram igitur patriam vitæ pertæsa nocentis,  
 Heidunigis Christi vulnere sospes adit.  
 Vita ibi nobilior iam pro languente repostæ est,  
 Omnis ubi gemitus luctus & omnis abest.  
 Iamq; novos habitus renouato in corpore ge-  
 stans,*

*Laude creatorem prædicat usq; suum.  
 Grataturq; sibi duræ formidinis exors,  
 Tuta quod in miti gaudia pace videt.  
 Illa reuoluentes animis in funere luctu  
 Et finem lachrymis imposuisse decet.  
 Speramus requiem, si contigit illa, dolere  
 Nemo, sed optato debet honore frui.*

## EPITAPHIVM

DOROTHEAE FILIO-  
 LAE D. IOHANNIS BORC-  
 holten in Academia Iulia Ante-  
 cessoris &c.

Hoc



**H**oc tumulo Theodora iaces, hic corporis  
artus,

Paruaq; defunctæ condidit ossa pater.  
Quam citò mortales spe deturbamur auita!  
Quàm vehit ambiguas lubrica vita vices!  
Nil ætas, nil forma iuuat: discrimine nullo  
Demerit humanum trux Libitina genus.  
Illa quidem matri spes magna, & magna pa-  
renti,

Donum erat æterni nomine req; Dci.  
Qui dederat data surripuit: bona collocat usu,  
Mancipio nulli dat tamen ista Deus.  
Arbitrium Domini patienter ferre necesse est,  
Omnia nam nuiu versat agitq; suo.  
Fataq; criminibus debentur talia nostris:  
Quæ nisi mors nobis demere nemo potest.  
Ingeminant elementa minas, surguntq; tu-  
mulus,

Maius & ostendunt astra timore malum.  
Felices autem, qui per compendia vitæ  
Gaudia perpetuæ deliciofa petunt.  
Pone modum lacrymis genitor mæstissime,  
vixit  
Filia, inauditis perfruiturq; bonis.



## CLARISS. DOCTORI

Medico Iacobo Horstio, sponso.

**D**octe Machaonias Horsti curare per artes  
 Quis tibi propitios non videt esse Deos?  
 Non solùm medicas Phœbus tibi contulit artes,  
 Dat sociam thalamo pronuba Iuno tuo.  
 Sicania egregios oculis Venus afflat honores,  
 Et membris robur dat iuuenile tuis.  
 Ingenium Pallas fingit Ioue nata, Lyæus  
 Pocula dat sapidi non inamœna meri.  
 Flaua Ceres dat farra, nigras Sol discutit um-  
 Ne pluuia cœlo precipitentur aqua. (bras,  
 Mercurius fatum dispensat, & alite fausta  
 Connubium vt præsens perficiatur agit.  
 Monstra domat Cereris gener impia, quorquo  
 Insidias tendunt nocte dieq; toris. (honestis  
 Ista tuis rebus cupiunt benè numina, fœdus  
 Istis auspiciibus sanctius esse solet.  
 Dignus at hoc fato es: virtus trāquilla meretur  
 Ocia, & in curas mens operosa bonas.  
 Vtere nunc & sorte tua, & bona publica quære.  
 Si quis amor laudis seruat ille scholæ.  
 Sic erit, vt Diuum stabilem mereare fauorem,  
 Vt tibi sint cæpti fœdera fausta tori.

Sio



*Sic erit inuidiã ut superes, quæ rodere summos  
Suenit, at abiectos degeneresq; fugit.*

AD REINERVM REI-  
NECCIVM.

**G**emmiferam meruit gestare Poëta coronã  
Rudi laborans explicare carmine  
FROTHONIS laudes & nomen, HIARNVS,  
avaro

*Quã bellicosa cingitur Dania mari.  
Sylvius Aeneas quod regum conderet acta  
Vrbem Quirini fertilisq; pontifex,  
Imperium Italia tenuit. Tibi mille priorum  
Regum Ducumq; facta præpotentium  
Gesta recensenti seriemq; genusq; nepotum,  
Quæ digna reges largientur præmia?  
Fide Deo, studijsq; tuis: insuane laborum  
Onus sequaces mitigabunt gloria.  
Quicquid id, inuentis ab te dum sepius vtor,  
Et plura spero verba dico talia:  
Cedite Romani scriptores, cedite Graij  
Nil maius illo nascitur Syntagmate.*



SYLVARVM  
PARODIA CATVLLIANA

Ad infantem Iesum.

**I**nfantis sumus in fide  
Puella, & pueri integri.  
Infantem pueri integri,  
Puellaq; canamus.  
O Iesu puer optimi  
Dua progenies patris,  
Quem mater prope fiscinas  
Deposuit agrestes.  
Mortis ut domitor foras  
Infernaq; voraginis,  
Demonumq; frementium,  
Criminumq; malorum.  
Tu spes unica perditis  
Fractis anchora mentibus,  
Tu potens mediator, &  
Nostra causa salutis.  
Tu mores patris induens  
Omnium gemitus vides:  
Sacra Gymnasij pijs  
Teeta cœtib; ornas.  
Sis quocunq; tuis opus  
Clemens tempore, Teutonũq;

Anti-



*Antiquam, ut solitus, bona  
Sospites ope gentem.*

Allusio ad nomen & insignia Arnoldi  
de Reyger.

**A**rdea nomen habet, quod semper ad ardua  
tendat,

*Et reliquas penna præpete vincat aues.*

*Hanc patrio gestas clypeo Reygere, docesq;*

*Quis scopus, ac studij meta sit una tui.*

*Nempe per oppositas ad summa cacumina rupes*

*Scandere, ubi virtus imperiosa sedet.*

*Dij tibi sint præsto, vincas discrimina rerum:*

*In magnis labor est amplus, & amplus honor.*

De Henrico Ranzouio.

*Historicum, vatem, medicum, iurisq; peritum*

*Nomine vis vno dicere? Ranzouius.*

Distichon.

*Sos premit atra bonos sacrisque dicata Camænis*

*Agmina pro libitu turba fatigat iners.*

Aliud

*Sors fauet equa malis turpiq; sepulta veterno*

*Agmina plebs omnis deuenerata colit.*

I 3

AD



AD M. HERMANNVM  
VASTELABVM.

**Q**uicquid agis fidenter agas, & nitere tan-  
Officij parteis vt tueare tui. (tūm  
Degeneres aliena parant, sapit aptius ille  
Intra fortunam qui cupit esse suam.  
Nec tibi successus aberunt licet acris lingua  
Tela venenata sint metuenda bonis.  
Omnibus hoc vitium sciolis aliena cauillo  
Carpere, & innocuos exagitare probris.  
Crede mihi sua qui curat, benè viuit, & extra  
Prescriptam debet tendere nemo viam.

Epitaphium Volquini Grouij ciuis  
Hoxariensis.

**A**rtificem cuius norat Germania dextram,  
Hac sua Volquinus membra locauit  
humo.

Nomina Victoris retinebat in omine, vicit  
Arte viros, precibus fata, necemq; fide.

ME-





MEMORIAE HENRI-  
CI IOACHIMI MEIBO-  
MII *filioli*

HENRICI MEIBO-  
MII POETICES ET HI-  
storiarum Professoris.



I 4

VICE-



VICERECTOR  
 ACADEMIAE IV-  
 LIAE TILMANNVS  
 Heshufius Lecturis.

**S**alutem à Filio Dei, qui mortem absorpsit  
 Sin perpetuum. Obstupescit penè ratio, cum  
 videt tantam esse vim mortis humanæ, vt non  
 solum adultos, qui impura vita iram Dei pro-  
 uocarunt, & suis sceleribus mortem attraxe-  
 runt, verum etiam in infantes, quos omni va-  
 care culpa censet, cum nondum ratione vtan-  
 tur, sæuiat & tyrannidem suam exerceat. Exi-  
 stimat enim ratio in infantiam non cadere tan-  
 tum peccatû, quod tam graui supplicio, mor-  
 te scilicet, sit dignum. At sacra scriptura cau-  
 sam nobis exponit, cur etiam infantes sint ob-  
 noxij tam seверо Dei iudicio: nimirum quod  
 nemo immunis sit à peccato, ne infans quidem  
 vnus diei. In peccatis enim concipimur & na-  
 scimur: & priusquam lucis percipimus vsuram,  
 contagione maculamur. Idcirco regnat mors  
 ab Adam vsq; ad Moisen, etiam super eos qui  
 ad similitudinem præuaricationis Adæ nõ pec-  
 cauerunt. Iuxta hoc seuerum suum iudicium,  
 quo æternus Deus corruptioni naturæ succen-  
 set,



set, & omnibus hominibus mortē decernit, & ne infantibus quidem parcit, sanctus Deus filium viri clarissimi & ornatissimi collegæ nostri M. Hinrici Meibomij adhuc infantem Hinricū Ioachimū Meibomium ex hac vita euocauit ad cœlestem consuetudinem. Quia vero nos Christiani in Iesu Christo certam habemus spem resurrectionis ex morte, idcirco corpora fidelium, vt & infantum, qui per Baptismum inserti sunt Christo, sepelienda & terræ mandanda sunt: Quia quod in ignominia seminatur, cum honore resurget. Hortamur igitur auditores nostros, vt hora duodecima ante ædes Doctissimi viri M. Hinrici Meibomij professoris conueniant, & funeris deductione suam erga mæstū parentem beneuolentiam testentur, singuli etiam in timore Dei cogitent seueritatem iudicij diuini aduersus peccatum: fragilitatem humanæ naturæ: incertitudinem horæ mortis: Ac propterea quisq; vitam suam ardenti inuocatione & sanctis moribus commendet Deo,

qui est vita & longitudo dierum nostrorū, Helmæstadij 28. Maij

Anno 1587.

I 5

CLA.



*CLARISSIMO HEN-  
RICO MEIBOMIO, HI-  
storico & Poëta:*

PATRI

Primogeniti fui Henrici Ioachimi, vix  
annui, obitum miseré & acerbè lugenti,  
IN SOLATIVM.

*Q*uò quò rapis me sollicitudinam  
HENRICE: Luctûs quid socias vices  
Tui necem NATI gementis  
Participem? Quid enim paternos  
Soluta motûs exprimat anxie  
Iuuenta? Iustis illa doloribus  
Vacet Iugatorum, petulcis  
Pronior & magis apta ludis?  
Ut ut molestum est: Experiar tamen  
Mœstam querellis tangere barbiton  
Tuq; iustas HENRICELLO  
Exsequias modulos ituros.  
O impotentis tam stili acumina  
Retusa, Suade oblita venustule?  
Quin CORCVLI planctus acerbos  
IVLIADAE obuia temperatis?

*Quis*



Quin competentes undique flosculos  
 Conquiritis: queis ILLE CATO DOLO  
 Tulli NECEM MVLSIT PVELLAE  
 Aut quibus ILLE SVVM CATELLVM?

Nuga! Parentum talia feruida  
 Mærore menti non faciunt satis.

Restinguat hunc haustum sacro  
 Fontibus Isacidum, ore, nectar.

Hinc ille manans ambrosius latex.

Nimis suorum funera flentibus:

LETHO RAPI PRIMOS BEATOS  
 EXIMI ET È MEDIIS PERICLIS.

At quàm beati morte puelluli

Statim reposcunt quos superi, suos

Et VSQVE DANT VVLTVS TVERTI,  
 MVNERE QVIPPE SVO obtigisse.

Monent parentes. Esto memor, tuas

HENRICE vires, non potuisse tam

Præclara fundamenta stirpis

In sobole instituisse primâ.

Illam dederunt fata vii: per mala,

Blando trementem funere sustulit

Sic rursus in cælum resorbens

Aliger, & tulit è procellis.

Ergò



*Ergò obligatam redde Deo dapem*

*Longâq; fessum tristitiâ latus*

*Depone sub COSTA tuâ, Nec*

*Parce operis tibi destinatis.*

*Attu SOPHIA ô sicca oculos aquâ*

*Tepente, Flammis tolle citis forox*

*Cunas voraces, Stigma casi*

*Tolle tui memor HENRICELLI*

*illum nitentem fronte CRUCE AVREA*

*CHRISTVS paternis en fouet vlnulis,*

*Amplectitur, figit labellis*

*Basia mille, iteratq; mille.*

*Oblita matris tempora agit suæ*

*Inter coronatas nitidâ nurus*

*Lauru, volutant angelorum*

*Agmina dulcè canora cunas.*

*O ter beatos, ô ter & amplius,*

*Sub prima vitæ principia, inscijs*

*Cunabulis quos Parca tollit!*

**DI SIMILI DATE FINE OBIRE!**

*M. Casparus Arnoldi.*

IN



## IN OBITVM

**HENRICI IOACHIMI,**  
**M. HENRICI MEIBOMII**  
*Lemgouiensis V. CL. & Poëseos ac Historiarum P. P. Filioli mellirissimi  
 & unici.*

**H***ic quã scholam Brunouius extulit*  
**Dux IVLVS Helmanam, quam Eryman-**  
*thidos*

*Astris ab, obitu cum Helice videt,*

*Miratur, vrit Saxonas & minus,*

*Multis ab amis betula nobilis,*

*Pauit tuentes arbutea coma*

*Quæ gratiã, ramis viguit suis:*

*Inscripsit huius corticibus pia*

*Clio vetustis gesta viris, bonum*

*Attexuit sed Calliope melos,*

*Persapè & huius sub parulis comis*

*Pulcrum melos Pandione Daulias*

*Prøgnata, verno tempore concinit.*

*Fructus at expers candida betula*

*Caliginoso sola loco, suis*

*Contenta vescis frondibus & comis*

*Tange-*



Tangebatur auras, dum DEVS optimus  
Fragrantem Olivam & fœtibus inclitam  
Adduxit & iunxit quoq; betula.

Non sic Crocum Smilax Cilicem fouet,  
Non sic Camædro Teucrion intumet  
Affine, non gaudet Cunilâ Thymus:  
Gaudebat hæc ut betula nobilis  
Affine Oliuâ, nexibus implicans  
Multis Oliuæ se, vice amabili  
Quæ repplicabat se quoq; betula.

Exibat annus cursibus, ut beæ  
Fœtu nouello candida betulam  
Incundam Oliua, & regmine betula  
Betulla, se, succreta recens tegit,  
Matris sub umbrâ seq; oleæ occulit.

Semper fouebatur betula betulam,  
Amplexam Oliua & lacteolo sinu  
Mitis tenebat, delitium unicum  
Betulla Oliuæ, gaudia betula.

Sic sortis ut clementia tempore  
Fauit breui, fors heu pede proruit  
Iniurioso gaudia lubrica:  
En fœdus arrosit caper optimam  
Betullam, & unci dentis & inuidi

Liquis



*Liquit venenum Tartareus caper.*

*O creta primum betula siccine  
Verno peribis tempore? siccine  
Mellita, præstans candida, betula  
Sentis capri morsus aconitaq?*

*Sic ficubus sæpè est scabies mala:  
Serpigo Oliuæ: vitibus officit  
A Erugo: betulle caper inuidus.*

*O plange præstans betula, decute  
Molles comas, lugubria carmina  
Inscribito ô betulla comis tuis.  
Sed sit modus lugubribus, exsili  
Quin gaudijs ô betula, quod tua  
Betulla sic possente Deo, decus  
Sit sedibus cæli addita, vestiens  
Cæli theatrum frondibus albidis.  
Sic summus afflet flaminibus tuam  
Vernis oliuam, procreet ut nouum  
Fætum parenti cuncta simillimum.*

*Iohannes Bernsdorphius. Alfeld.*

FINIS.



Guy Du Fayr [Signeur] de Pibrac  
II 1811


Les Quinze Jours

Johannes Bernsdorfer

F 1112








70  
50  
4-  
5,  
9  
2.







ALVENS  
34







HENRICI MEI  
BOMII LEMGOVI  
ENSIS E SAXONIBVS  
VVestuali

PARODIARVM HO.  
*ratianarum*

LIBRI DVO  
ad

NICOLAVM CAASAM  
Magnum regni Daniæ Can-  
cellarium.

ITEM SYLVARVM  
LIBRI DVO.



HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius Anno 1588.

N. G.

